Iacobi Horſtij D.

E AVREO DENTE
AXILLARI PVERI SILE-
I, PRIMVM, VTRVM EIVS
eneratio naturalis fuerit, nec ne; Deinde
an digna eius interpretatio dari queat.

ET

E NOCTAMBVLONVM
TVRA, DIFFERENTIIS ET CAV-
is, eorumque tam præſeruatiua quàm etiam
curatiua; denuo auctus liber.

on plus FATA tamen, quàm pia VOTA valent.

5  9 5

LIPSIÆ,

Impenſis Valentini Vœgelini Bibliop.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

INVICTISSIMO AC POTENTISSIMO CÆSARI RVDOLPHO II.

Hungariæ & Boëmiæ Regi, Auſtriæ Archiduci,&c. Reuerendiſsimis & Illuſtriſs. Electoribus, cæteriſq; ordinibus Sacri Rom. Imperij, Epiſcopis, Principibus, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Conſulibus & Senatoribus ciuitatum; Dominis ſuis clementiſsimis ac ſubmiſſè colendis.

INVICTISSIME Cæſar, Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, Illuſtres, Generoſi Domini, Nobiliſſimi, ſapientiſſimi & ampliſſimi viri, Sacræ Cæſar. Maieſt. Celſitud. Generoſit. Magnif. & Amplitud. veſtræ, opuſculum hoc perbreue munus ſanè exiguum dedicare ego quidem ſubdubitabam: propterea quod magnos magna deceant. Sed cum in extrema hac mundi enecta ſummiſq; difficultatibus bel-

li contra Turcã, Devs aliquid multorum opinione melius præſagi. videatur, ea quæ animum addunt, & ſpem certiorem in dubio Marte afferunt, diſſimulare nolui aut etiam non debui.

Dentem avrevm enaſci ſine dolo & fraude, puero ſimplici & non malæ indolis, ætatis ſuæ anno critico bono, nimirum ſeptimo, à condito mundo hucuſq; inauditum eſt. Itaq; ſi vel planè naturalis eſſet, q̃ in multis negamus, aliquid magni portenderet, cum omnia naturalia rara prodigioſa extiterint. Sed quia miraculoſa in eo pleraq;, tanto plus ponderis in prognoſticis habebit.

Dentes minui vel prorſus amitti, ſiue reipſa fiat, ſiue in ſomnijs videatur, decrementum & amiſſionem bonorum prædicere experientia teſtatur. Contrariorum cùm ſit eadem ratio: quis aurei dentis generationem & accretionem, incrementum bonorum, & acceſſionem regnorum

omano Imperio, in quo puer cum dente aureo natus eſt, & hodiè adhuc viuit,prænunciare dubitet? præſertim cum dens iſte in bono critico anno ætatis, nimirum ſeptimo prodierit. Sed neq; hoc ſilentio prætereundum eſt, DENTEM AVREVM in ſiniſtra maxilla vltimum molarē inferiorē eſſe, in quo multa, eaq; craſſiora ac difficiliora maſticatu in fine conteruntur ac læuigantur. Profectò id ipſum multa mala innuit, multas cruentas clades,& diras pœnas,quas peccatis noſtris promeriti ſumus, minatur, antequam acceſſio nouorū regnorum, incrementum Romani Imperij, & prognoſticum verum aurei dentis in effectum veniat: De quibus in problematibus noſtris de aureo dente hoc molari plura.

Veſtrum igitur eſt, ô potentiſſime Imperator, Reuerendiſſimi, Excelſi, Illuſtres,& Generoſi Domini, Nobiliſſimi & ampliſſimi viri, ꝓdigiū hoc nouum & inauditū tanti,quanti par

eſt facere, perpendere, & ſaluti Imperij Romani maturè conſulere: Meum verò ſtudiū vel veritatis indagandæ, vel myſteriorum pro virili declarādorū, animo clementiſſimo atq; beneuolo & vultu ſereno in meliorem partē accipere. Fateor ſanè, quæ Minerua noſtra de his amore patriæ, gratia ſubmiſſæ debitæq; obſeruantiæ, & ſtudio veritatis meditatur, eſſe quidem tenuia: talia tamen quæ occaſionē cogitandi vlterius & de futuris diſpiciendi præbeant. Valeat & viuat Sacra Cæſarea Maieſtas veſtra cum cæteris Electoribus & Ordinibus Sacri Imperij, vel portis hoſtium inuitis. Helmſtadij in Iulia Academia, Calendis Martij, Anno 1595.

S. Cæſ. Maieſt. Celſitud. Generoſ.
Magnif. & Ampliſſ. veſtræ

Subiectiſſ. atq; deuotiſſ.

Iacobus Horſtius Med. D.
& Profeſſ. in Acad. Iulia.

EPI-

EPISTOLA
AD

Medicum excellentiſſimum, virum clariſſimum, Dominum
IACOBVM HORSTIVM
MEDICAE FACVLTATIS Seniorem ordinarium & pro tempore Decanum;
ILLVSTRISS. DVCVM BRVNſuicenſ. Conſiliar. & Archiatrum:

DE AVREO DENTE differentem in DIVA IVLIA.

MIrum in modum, clariſsime virorum, à ſummo illo Imperatore actiones noſtras gubernari quis non videt? quas ad alium finem nos ſæpiùs, ad alium ipſe dirigit. Teſtatum facit tua præterito anno in Sileſiam vendendarum ædium tuarum cauſa, Suidnitij quæ fuêre, ſuſcepta profectio: Tu priuatum commodum eâ quærebas, DEVS publicum, Miraculum illud inauditum AVREI DENTIS puero ſeptem annorum enati, ignotum latere inter vicinos non debuit, ſed exteris quoque & procul diſsitis nationibus innoteſcere:

Non dubium enim quin noui quid importet, non modo Sileſiæ, ſed toti Romano Imperio. Ergo ab omnibus etiam tangi & videri, ſi non corporis, mentis oculis debet. DEVS excellentiam tuam eſſe voluit, & ideò hinc in prædictam Sileſiam ire compulit. Cum enim non cuiuſuis ceruix par fuiſſet huic oneri ferendo, talem elegit qui non modò τὸ ὅτι, ſed etiam τὸ διότι inquirere valeret. Quis autem melius hanc prouinciam excellentiâ tuâ ſuſtinere potuiſſet? non video. Teſtis eſt cathedra publica, ex qua nos ſumma cum laude E. T. de aureo dente differentem audiuimus. Pergat ergò E. T. incœptũ iter currere, nec eam maleuolorum morſus deterreat: Rem gratam E. T. DEO (cuius inſtinctu ad hanc rem inauditam penitùs conſiderandam eò profecta) & toti poſteritati præſtat, nec non dignam ſuo officio & perſona, cui tanquam Medico de talib. diſputare maximè conuenit, ſicut me prima E. T. lectio de aureo dente enumeratis ſeptem, ni fallor, cauſis eruditè docuit. Viuat & valeat E. T. Neſtoreos in annos. Raptim die 20. Ian. Anno 95.

Fridericus à Gelhorn
Iunior.

Horſti Pœonij Dux, ô Dux inclyte Martis:
Ars etenim Medici Mars mihi viſa fuit.
Hoſtica morborum qui tanta vel agmina fundis,
Arte tuendo bonum, Marte fugando malum:
Ialyſi mirator erat Septennis Apelles,
Quem mirè expinxit Protogenea manus.
Zeuxidis Oebalidem ſuſpexit priſca vetuſtas,
Quam manus egregij finxerat artificis.
Quid tamen iſta manus patrauerit amplius? vrnâ
Occidit ars docta contumulata manus.
Rectius oſtentum rimaris opusq; magiſtræ
Naturæ mirum perpetis artis opus.
Edidit hæc pupũ, verpa poſt terga reflexa, (rens.
Quẽ tulit (heu dolor, heu!) Marchia mœſta pa-
Edidit hæc hominem capite ingeminante: leonem
Nicippi, peperit, matre bidente, ſolo.
Lumiua largita eſt oculiſsima, quo Lilybæo
Siculus aſpiceret Punica regna procul.
Dictamno capram cancris donauit & apros,
Morbida hyoſcyamo quo ſua membra leuent.
Tergentem hæc Seſelin ceruos hederamq; Pha-
Tetris aduerſam morſibus edocuit. (langi
Hæc cute prædura Polydorum, pectore bardum
Enixa eſt, quam nec perterebrarit acus.
Quid memorem Eurypheum? Quid Pyrrhum? v-
triq; latebat
DENS vno fixè conditus alueolo.

Quid magni referam Alcidæ, Phœbiq́ʒ Columbi
In triplici dentes ordine diribitos?
O natura potens, rerum natura nouatrix
Diſcolor, ô miris mira magiſtra modis.
Multa dies varias naturæ prodidit artes,
Experta eſt Medicis plurima multa dies.
Primitus in cunis infans Medicina iacebat
Qualis enim tabulæ perleuis ortus erat.
Cum manus artificis pictura adſcriberet: hic eſt
Ecce leo: hic aper eſt Marſus: & ille caper:
Tam quoqʒ macra fuit Medicina; at floruit ætas
Pinguior excultis poſtea culta viris.
Multa ſagax ætas reperit, nec pauca repertis
Addidit, & natis credidit illa ſuis.
Claruit Hippocrates, Meſues, Auicenna, Galenus:
Cum Celſo ſtetit & celſus Ariſtoteles.
Veſalio Bruxella ſuperbit, Roma Columbo:
Mutina Fallopio, Gallia Fernelio.
Hos tamen aurifero latuit dens ore ſubortus,
Quem fato Europæ ſecula noſtra ferunt.
Qualis enim haud omnis fert tellus omnia: tale
Naturæ gremium non ſimul omne patet.
Tu dentem AVREOLVM *lux ô præclara me-*
Horſti, naturæ pandis ab vſqʒ ſinu. (dentum,
Abdita cauſarum claras myſteria, myſtes
Naturæ, & reſeras clauſtra adoperta ſeris.
Quæ neqʒ Traxullus tetigit nec Theſſalus vnquã,
Non Italus, Gallus, Phryx vel Iberus homo.
Quis precor, ah quis te traduxit ad vſqʒ receſſus
Natu-

Naturæ, genius? qua face, magne ſenex?
Ingeniumńe ſagax? Iubar an non artis honora?
Sic arcana tibi, ſic patuere, reor.
Ingenium mentis: VERI *venatus in arte eſt*
Sit ſua laus genio: ſit ſua palma faci.
Mentis Anaxagoræ ſunt ſtructa altaria quondam
Et VERI: *Ingenij præmia & artis honos.*
Et quæ digna tibi ſtatuentur præmia tandem,
Erigeres meritis digna tropæa tuis.
Magnanime ô ſupero morborum Numine victor
Te VERI & MENTIS *bina columna beet.*
Quam tibi ſacramus: tete radiantibus addat
Sideribus nulli neſcia fama loco.
Hanc tua promeruit virtus, præluſtris in arte
Phœbea ſplendor, Mentis & iſte vigor.
Qui vitem peperit, qui LemnI ſcripta poliuit,
Qui dentem pueri propalat Aureolum.
Quo ſcriptus tandem Noctambulo prodijt, Euge,
Da plura ingenij pignora cara tui.
Quid precor vlterius? tibi LAVS *tua libera ver-*
Pallentis monſtri morſibus inuidiæ. (*nec*

Iohannes Vincelbergius Semno Philoſophiæ candidatus Anaxagoream hanc MENTIS & VERITATIS columnam præceptori meritiſsimo, Medico elegantiſsimo faciebat M. D. XCV.

SVMMA TOTIVS DOCTRINÆ DE AVREO DENTE.

Cum in Sileſia vendendarum ædium gratiâ eſſem, incidi in puerum ruſticum Chriſtophorum Mullerum, cui cùm ſeptimo ætatis anno dentes oſſei cecidiſſent, ac tales renati eſſent, vnus eorum nimirum vltimus molaris in ſiniſtrâ parte inferius productus fuit aureus, ſplendens perpulchrè, alter penultimus ne ſecundo quidem anno rediýt.

Breuis narratio hiſtoriæ de aureo dente.

Mirabar quod ſimile exemplum de DENTE AVREO *in quocunq; animali ac ne homine quidem à condito mundo vſq; extare ſcirem. Sed quia & anno ſeptimo ætatis creſceret ex eâdem radice, ex qua aliý oſſei dentes (non enim dentes integri, appendices tantum eorum criticè cadunt atq; redeunt) & communi generatione, nutritione, auctione, vitâ atq; ſenſu cum aliýs frueretur, ma-*

Dens aureus nunquã niſi in hoc puero enatus eſt à cõdito mundo hucuſque.

Summa primi problematis de aureo dente.

teria verò, ex qua factus erat, non tan. metallicus ſuccus, quàm ſanguis per venas in cauitatem ſubſtantiæ huius dentis æquè affluens eſſet, ideoq́; minus ad aurum diſpoſita, eſſentialis forma differret ac finis, præterquam quòd eo ſicut alijs dentibus puer cibos maſticaret lauigaretq́; prodigioſus videretur, partim naturalem, partim miraculoſum aſſeueraui, & certis rationibus in prælectionibus confirmaui: eos etiam qui planè naturalem ex imaginatione prægnantis matris, cùm aurum vidiſſet, & vltimũ dentem molarem tetigiſſet, aut etiam ex vſu ciborum naſcentium in radice montium Reichenbachenſium, atq; potius riuulorum fœcundorum boni auri Vngarici factum autumant, refutaui.

Naturalia tamen in hoc aureo dente reuera exiſtunt.

Naturalia in aureo dente.

1. Dentem aureum criticè ſeptimo ætatis anno generari, alio prius cadente.

2. Generatricem vim naturalem in productione eius æquè vſam eſſe alteratrice, & formatrice.

3. Al-

3. Alteratricem alteratione ſanguinis affluentis licet multò maiori, quàm pro naturâ oſſei dentis, eum effeciſſe vel generaſſe.

4. Formatricem eodem modo quo alios dentes in iuſta conformatione figuræ, ſuperficiei & cauitatum, in decenti magnitudine, in eodem numero, & in debito poſitu formaſſe.

5. Imò etiam nutricem & auctricem in aureo dente ſuas vires exeruiſſe, dum eum in eadem ſubſtantiâ & magnitudine, quæ aliâs deperderentur & diminuerentur, toties conterendo, maſticando & lauigando cibos duriores in alterum annum vſq; conſeruant. Nemo enim neſcit aurum in annulo carne digiti ſenſim abſumi, quid non oßibus, pane, & cibis contuſis? Id quod Galenus de oſſeis dentibus libro 5. cap. 8. de medicamentorum compoſitione dicit ſecundum loca, & huic aureo denti perbellè congruit. Ex nutrimento ferè per omnem animantis ætatem incrementum dentes accipiunt, & euidenter ſæpe numero apparet,

paret, in ijs dentibus, qui exemptis oppoſiti ſunt, vtpote qui ſemper augeſcunt. Quantum verò augeſcunt, tantum in ciborum manſu deteruntur. Impoſsibile eſt incrementum accipere citrà nutrimentum. Hæc ille.

6. *Vitalem vim per arterias ingredientes in cauitatem & ſubſtantiam aurei dentis, & per ſpiritus vitales impetu eò ruentes viuificare. Nam pars corporis, quæ toti vnita eſt, & proprias actiones obit communi vitâ fruitur.*

7. *Animalem quoq; ſenſitiuam per neruos in cauitatem & ſubſtantiam aurei dentis ingredientes, ac à tertio pari neruorum cerebri ortos, eum etiam ſenſibilem reddere. Nam & puer Lydium lapidem, quam diligenter à me occultatum, quo aurum probabam, ac leuiter fricabam, etiam non viſum primo tactu ſenſit, mater eius etiam mihi in præſentia dixit, apud Epiſcopum Niſſanum chirurgos ſæpè, cum chirurgica inſtrumenta tentandi roboris gratiâ adhibuiſſent, magnum dolorem puero concitaſſe. De-*

niq;

rig, & hoc naturalis facultatis opus eſt, maſticare & læuigare eo cibos.

Miraculoſa ac præter ſeriem & ordinem rerum exiſtunt.

1. Calorem natiuum corporis ſicut terræ, efficere hunc aureum dentem. Miraculoſa in aureo dente.

2. Materiam aurei dentis adeo alienam & remotam fieri ſanguinem affluentem per venas in cauitatem & ſubſtantiam dentis aurei.

3. Ex radice oſſea dentis appendicem auream enaſci.

4. Aurum in dente nutriri, viuere & ſentire.

5. Aureum dentem gingiuâ adeò ſalubri ac rubicante molli circumdari ac firmari.

6. Auri formam denti ad omnes vſus naturales aptam ſpontè reddi.

7. Aureum dentem à condito mundo inauditum eſſe.

Ex his ſequitur AVREVM DENTEM, prodigij rationem habere biſariam: & quod naturalia rara ſint prodigioſa: & quod miraculoſus maxima ex parte habeatur. Summa ſecundi problematis.

Summa tertij problematis.

Etſi verò hac occaſione de præcipuis portentis noſtro ſeculo notatu dignis, mul docui, tamen omiſsis alijs ad inter pretationes huius prodigij accedo. Harum ſex certas ob cauſas reiecimus, ſeptimam viri docti & magnæ exiſtimationis, quem honoris cauſa nominare nolim, ſummoperè probaui, nimirũ aureum dentem præſagire aureum ſeculum: nullum verò ſeculum aureum fore quàm vitam æternam. Sicut ſigna adeò triſtia in Sole, Luna, Stellis & anxietate inhabitantium terram præceſſerunt, & ad huc aliquamdiu præcedent finem mundi: ita DEVS *animos piorum in tantis tribulationibus erigit, tùm conſolatione, tum myſterio hoc prodigioſo iucundo aſpectu, ſcilicet aureo dente, quibus congruit illud Abrahami Bucholceri, vt à nato Moyſe vſq; ad natum Chriſtum fuêre anni 1596. ita multi ſcripſere à natiuitate Chriſti annis totidem expectandum eſſe, vel quandam rerũ humanarum magnam mutationem, vel ſanè vltimum aduentum Chriſti.*

Interpretatio aurei dentis de aureo ſeculo vitæ æternæ.

Meam

Meam deniq́, non quod alijs præferendam duxi, ſed quia viſo dente aureo ſtatim mihi illa in mentẽ venit, & multis de cauſis veriſimilis, ſaluo cuiuſq́ iudicio, videtur, poſtremò addidi. Hæc potiſſima verò eſt: DEVM *Sacræ Cæſareæ Maieſtati & omnibus ordinibus Imperij iam tum cum vidiſſent anno 92. & initio anni 93. ſuos ſubditos à Turcica tyrannide in Croatia, in Styria, in Vngaria opprimi, oppida & caſtella expugnari, ampliſſimas regiones vaſtari, multa millia hominum diras cædes & triſtiores captiuitates pati, & non immeritò de ſalute ſua & ſuorum ſolliciti eſſent, ſalutifero & amicabili prodigio nunquã antea viſo vel audito, ſcilicet dente aureo molari pueri huius Sileſij in Imperio Romano nati benignè adfuiſſe, & adfuturum deinceps: animoſq́ propterea colligendos, atq́ ex hoc præſagio ſtatuendum: potentiam ipſorum vires acceptu-ram, regni acceſſionem tantam futuram, & eius quidem regni vltimi atq́ felicis, vt deuicto tandem Turca & omni-*

Interpretatio aurei dentis de aureo ſeculo in hac vita.

Dens aureus ſolatium piorũ in tyrannide Turcica.

 mni-

mnibus eius viribus attritis altiſsima pace vſq; ad aduentum Filij DEI *ſint fruituri.*

Dentis aurei duplex interpretatio.

Dens enim in Sacris alibi Potentiam magnam, alibi Regem & Regnum denotat: illam ſeptimo capite Danielis, vbi
1. *de ferreis dentibus quartæ beſtiæ, hunc*
2. *ibidem, vbi de ſecunda beſtia habente tres dentes, id eſt, tres reges potentiſsimos, Darium, Cyrum & Artaxerxem, legitur.*

Auri interpretatio.

Aurum quoq; ex ſapientiſsimi Danielis interpretatione optimum regnum, non tàm longè lateq; regnando, quàm integritate ſufficienti, præſtantia virtutis, clementia & inprimis pacē cōſtitutum prædicit, exemplo aurei capitis in imagine Monarchiæ primæ, quæ magnū regnum dicitur, licet ſecunda Monarchia, quæ minus regnum vocatur, amplius regnabat, quod ad Aſsyriorum & Chaldæorum regna acceſsio Perſarum & Medorum facta fuerat: itidem tertia adhuc ambabus, vt æri adſimilaretur, toti terræ dominabatur.

Dens

Dens igitur aureus præſagit regnum magnum, valde potens & inprimis pacatum, ſicut Nabuchodonoſor cum bello viciſſet varios populos, 20. annos ſuperſtes vixit in pace, & filius eius Euilmerodoch 30. annos. Sicq́; Monarchia prima 50. annorum pace longè maiori, quàm Salomon vſa fuit. Interpretatio aurei dentis de regno potentiſſimo & inprimis pacato.

Dentes etiam creſcere, ſiue reuera id fiat, ſiue in ſomnijs videatur, acceſſionem noui honoris, multorum bonorum, regni iſtius magni & præclari ſignificat. Nam dentium amiſſio ſignificat iacturam, vel parentum, vel coniunctiſſimorum amicorum, vt de ſomnijs experientia quotidiè docet. Nec ab hac re alienum apud Suidam legitur, Hippiam Tyrannum Athenienſem, cum è vehementi ſternutationis concuſſione vnus dens ei excuſſus eſſet, nec in arenas delapſus reperiri potuiſſet, ſtatim pòſt caſum magno prælio & fugientem in Lemnum non modo regno ſuo, ſed etiam viſu & tandem vita miſerrimè priuatum eſſe. Cum igitur contrariorum eadem Interpretatio aurei dentis creſcentis de acceſſione noui regni eiuſq́; magni. Interpretatio dentis amiſſi de amiſſione bonorum.

ſit ratio, quis de acceſſione regni magni, laudabilis & pacifici ex aureo dente dubitabit?

Acceſſio regni ſignificatum Cæſari & imperio Romano.

Sed cui ſignificet, videndũ eſt. Quid multa? Magiſtratui huius pueri. Nota eſt hiſtoria de ancilla in Marchia, quæ cum antea aliјs ſeruијſſet honeſtè modeſteq́ꝫ Francofordiæ ad Oderam, ſubito furore correpta, quæcunqꝫ tetigit in Numiſma argenteum commutauit, omniaq́ꝫ ea, quæ inuitæ non auferebantur, deuorauit. Sicuti huiuſmodi Numiſma in Marchia & penes alios reliquum manſit. Sed aliquanto poſt ea quæ tetigit in ferreas acus mutauit: cuius rei interpretatio in Magiſtratum eius loci directa, prorſus non aberrabat. Etſi verò puer Sileſius hæreditarium quoqꝫ magiſtratum habet, nobilem pium ac prudentem virum, magnæq́ꝫ in hac nobiliſſima familia exiſtimationis, ad quem aliquid boni redundare facilè concedo ac opto, tamen tantum prodigium aurei dentis & tantam acceſſionem regni adeò potentis & magni, nulli niſi Sacræ

Prodigium argentei Numiſmatis in ancilla Marchiaca.

Cæſa-

Cæſareæ Maieſtati & toti Imperio Romano, ſub quo puer natus eſt, congruere iudico.

Circumſtantiæ autem plures ſimul conſiderandæ veniunt. Primùm vltimum eum eſſe, ſcilicet regnum illud magnum & pacatum ante finem mundi poſtremum fore: Deinde inferiorem molarem dentem verſus ſiniſtram partem. Sicuti igitur in molari dente conteruntur multa, maſticantur ac læuigantur, ita diræ pœnæ noſtrorum peccatorum, & tantæ calamitates, quantæ ab initio mundi, iuxta Danielem 12. & Chriſtum in Matthæo 24. non fuerunt, effectum aurei dentis præcedent. Erunt ergò calamitates, irruptiones Turcarum & Tartarorum, quos DEVS *in Ezechiele & in Apocalypſi per Gog & Magog prædixit. Hi enim immaniſſima Tyrannide coniunctis etiam alijs gentibus in Germaniam vſq; propediem, niſi pia vota plus, quàm fata valuerint, graſſabuntur, in prælijs cum Sanctis teſte Daniele præualebunt, multos egregios mi-*

Interpretatio aurei dentis vltimi de regno laudabili & pacifico vltimo.

Interpretatio inferioris dentis aurei de cruenta clade noſtratium, captiuitate & alijs.

lites abſument, multas regiones, multos thesauros conterent, prius quàm commodis regni vltimi, magni & pacifici in hac vita frui licebit.

Interpretatio aurei dentis versus ſiniſtrā, de multis ſiniſtrè actis in bello cōtra Turcam.

De hiſce magnis malis à ſiniſtra parte ſiniſtrè etiam excitatis, ſigna & in cœlo & in terra teſtantur, vt magna illa coniunctio quæ fuit in cœlo, cùm puer iſte auro dentatus naſceretur. Erat enim Sol, Saturnus, Mars, Venus, & Luna in Ariete & tunc initium trigoni ignei. Certiſſimum autem eſt ſub initio trigoni ignei ſemper aliquid magni euenire, vt Cyprianus Leouicius monet, & hiſtoriæ complures fidem faciunt.

Conſenſus aliorum ſignorum in cœlo cum hoc aureo dente.

1. Trigonus igneus.

2. Stella prope Caſſiopeam.

Huc accedit ſtella prope Caſſiopeam, quæ anno 72. menſe Nouembri & Decembri viſa, omnes planetas & 13. ſtellas Caſſiopeæ ſua magnitudine & lumine ſuperauit, ex quibus optimi quiq; Mathematici conſpirationem Tartarorum & Turcarum contra Imperium Romanū, multas ex ea conſpiratione cruentas clades & diras captiuitates, deniq; Turcici regni interitum prædixerūt.

Dein-

Deinde præter cæteros, Cometa anno 56. à Februario vſq; ad Maium quatuor ferè menſes viſus fuit, primo ſine cauda, poſt enſiformis motu proprio, retrogradè per 12. ſigna vſq; ad Arietem, & ab hoc iterum ad Cancrum progrediens, rurſus cum nobis euanuiſſet, Conſtantinopoli conſpectus, ſed triduo ante eius apparitionem, tanto ibi terræmotu facto, vt porta Hadrianopolitana verſus noſtram plagam ſita corruerit, Turcis ob caudam minitantem & initium in libra exitium, nobis meliora præſagit. Huic ſimilis fuit motu & alijs Cometa anno 1472. viſus, niſi quod hic Orientalis manè luceret, ille veſperi occidentalis; quorum hoc effectum tardius euenturum, illud citius prædicit iuxta Ptolomæum II. τετραβίβλου: *ex habitudine ad Solem initium indicant Cometæ, ſi præfulſerint Orientales, citiùs: ſi Occidentales, tardiùs ſignificant. Deinde quod hic minus diu, alter magis durauit, quorum hoc quoq; effectum diutiùs duraturum iuxta eundem an-*

3. Cometa anno 56. nobis & Turcis viſus.

Terræmotus Conſtantinopolitanus.

Cometæ huius ſimilitudo cum Cometa 1472.

Cometa huius & illius differentia.

Victoriæ ſecutæ Cometam anni 72.

nunciat. Qua de cauſſa factum puto, quod hunc ſecutæ ſunt proximis annis magnæ victoriæ contra Turcam, licet
1. *ſemel ipſe vicerit. Nam Vſuncanus rex eodem anno plures ciuitates Otthomannicis ademit.*
2. *Sequenti verò 1473. leui prælio 30000. ex Mahometis exercitu fudit. Tertiò Turca contra Perſam vi-*
3. *ctor euaſit 680. hoſtium captis. Quartò Turcæ cæſi ſunt à Stephano Muldauiæ Palatino, 4. Ducibus Turcicis captis, & 36. ſignis militaribus ereptis. Cometa verò anni 56. vnà cum aureo dente quoq; præſagit felices ſucceſſus contra Turcam ad excidium vſq;, ſed tardiùs, hoc eſt, multis annis & fortè quadrageſimo poſt, qui ſub annum 1596. incidit.*

Cometa anni 56. tardius & fortè anno 96. effectum habebit.

Ratio.

Nam cùm à morte Chriſti 40. anno ſecutum ſit Hieroſolymitanum excidium, non immeritò à Cometa hoc anno antedicto excidium Turcæ & initium aurei regni vel in hac vita ſperabimus.

4. Chaſma.

Poſtremò Chaſma anno 61. & poſtea ſingulis annis ſæpiùs hucuſq; conſpectũ, in quo primum cælum commouetur &

quo-

quodammodo exardeſcit, deinde haſtæ ardentes ex plagis cœli è diametro oppoſitis inuicem vehementer pugnant, noſtris præſagijs adſtipulari videntur. Nam prioribus annis planè rubrum & ſanguinolentum erat, poſterioribus albicans, quorum hoc victoriam, illud bellum cruentum denotat. Breuiter dicã.

Prognoſtica omnia eò redeunt, quò præſagia dentis aurei molaris eiuſq́; vltimi inferioris verſus ſiniſtram tendunt. Turcæ datæ ſunt occaſiones ampliſſimæ graſſandi & belligerandi ſiniſtrè agendo, Tartaros aliasq́; gentes coniungendi, arces & oppida multa expugnandi, trucidandi, inermem multitudinem & multas regiones inuadendi, vt clamor ad cœlum eat ac prædictæ calamitates tribulationesq́;, tum à Daniele, tùm à Chriſto etiam impleantur: ſed quando ad ſummum faſtigium Turca peruenerit, & ſperauerit ſe potiturum Imperio totius orbis, ſubitò fiet inclinatio in melius & effectus aurei dentis etiam in hac vita ſequetur. Summa omnium prognoſticorum.

Que-

Victoriæ ſecutæ Cometam anni 72. *nunciat. Qua de cauſſa factum puto, quod hunc ſecutæ ſunt proximis annis magnæ victoriæ contra Turcam, licet*
1. *ſemel ipſe vicerit. Nam Vſuncanus rex eodem anno plures ciuitates Otthomannicis ademit.*
2. *Sequenti verò 1473. leui prælio 30000. ex Mahometis exercitu fudit. Tertiò Turca contra Perſam vi-*
3. *ctor euaſit 680. hoſtium captis. Quartò Turcæ cæſi ſunt à Stephano Muldauiæ Palatino, 4. Ducibus Turcicis captis, & 36. ſignis militaribus ereptis.*

Cometa anni 56. tardius & fortè anno 95. effectum habebit. *Cometa verò anni 56. vnà cum aureo dente quoq; præſagit felices ſucceſſus contra Turcam ad excidium vſq;, ſed tardiùs, hoc eſt, multis annis & fortè quadrageſimo poſt, qui ſub annum 1596. incidit.*

Ratio. *Nam cum à morte Chriſti 40. anno ſecutum ſit Hieroſolymitanum excidium, non immeritò à Cometa hoc anno antedicto excidium Turcæ & initium aurei regni vel in hac vita ſperabimus.*

4. Chaſma. *Poſtremò Chaſma anno 61. & poſtea ſingulis annis ſæpiùs hucuſq; conſpectũ, in quo primum cœlum commouetur & quo-*

quodammodo exardeſcit, deinde haſtæ ardentes ex plagis cœli è diametro oppoſitis inuicem vehementer pugnant, noſtris præſagijs adſtipulari videntur. Nam prioribus annis planè rubrum & ſanguinolentum erat, poſterioribus albicans, quorum hoc victoriam, illud bellum cruentum denotat. Breuiter dicã.

Prognoſtica omnia eò redeunt, quò præſagia dentis aurei molaris eiusq́; vltimi inferioris verſus ſiniſtram tendunt. Turcæ datæ ſunt occaſiones ampliſsimæ graſſandi & belligerandi ſiniſtrè agendo, Tartaros aliasq́; gentes coniungendi, arces & oppida multa expugnandi, trucidandi, inermem multitudinem & multas regiones inuadendi, vt clamor ad cœlum eat ac prædictæ calamitates tribulationesq́;, tum à Daniele, tùm à Chriſto etiam impleantur: ſed quando ad ſummum faſtigium Turca peruenerit, & ſperauerit ſe potiturum Imperio totius orbis, ſubitò fiet inclinatio in melius & effectus aurei dentis etiam in hac vita ſequetur. Summa omnium prognoſticorum.

Quo-

Modus debellandi Turcam vſque ad exitum.

Quomodo vires tantæ Turcarū frangentur, & potentia tanta humilietur, ſcriptum eſt à Daniele 12. In illo tempore ſtabit Michaël dux magnus pro filijs populi tui. Id etſi alij aliter interpretantur: tamen ego exiſtimo aliquem Heroëm de improuiſo à Deo excitatum iri, qui per DEVM *aquilæ aſtabit & Turcam reprimet, ac tandem Gog & Magog debellabit. Hic etſi mundo antea contemptus fuit, tamen cum multa præclarè geſſerit, ab omnibus diuinitus conceſſus cenſebitur, & Cæſari arctiſſimè coniungetur.*

Interpretationis huius fontes.

Dum in hac interpretatione verſarer, & ſcirem non tantùm ex natura rei huius inuſitatæ eam eruendam eſſe, ſed etiam myſterij reuelationem à Deo expectandam, ſiue mihi, ſiue alteri numen diuinum aperiat, duobus viris doctis ijſq; bonis familiariter vſus ſum, cum ijs ſæpè de multis contuli & monui vt mecum DEVM *pro digna myſterij huius interpretatione orarent, paulò poſt nimirum ſecundo Februarij alteri horum viſio obtigit. Eius*

Eius interpretationem pro virili nunc addo. Luna Turcam ſignificat, quod eius ſigno in vexillo vtatur, tres Lunæ, tres exercitus Turcæ, vel tres duces exercitus, qui contra nos erumpent, præſagiunt. Hi priùs planè coniuncti erunt, quia ſibi non ſatis fident. Et hoc eſt quod tres Lunæ, nihil à ſe diſtantes, apparuerunt, ſed in Soles mutatæ, id eſt, Turcæ prælio atq; victoria ſuperiores facti, exercitum ſuum in tres partes diuident & maiori diſtantia ad diuerſas regiones emittent, fortè vnum in Auſtriam inferiorem, Morauiam, Sileſiam, Boëmiam & Saxoniam, alterum in Auſtriam ſuperiorem Ratisbonam & Francofortum ad Mœnum; tertium in Styriam, Carinthiam & Italiam, omnia vaſtabunt, Tyrannidem ſummam exercebunt & pœnas prædictas infligent, ſed tandem aquila erit ſuper hoſce omnes, id eſt, Imperium Romanum iterum vincet, Turcam reprimet & omnes eius vires ad excidium vſq; atteret, quam ad rem cuius principis virtute & robore DEVS

Viſionis cuiuſdam interpretatio. Luna ſignificat Turcam.

Mutatio lunæ in Solem indicat Turcam victoria ſuperiorem.

Aquila ſuper Solem & Lunam denotat eminentiam Imperij Romani, & excidium Turcæ.

ſit

ſit vſurus, ego non dicam, ſed inſignia non obſcurè innuere videntur, ſi viſioni huic quid tribuendum ſit.

Tempus magnarum calamitatū ante effectū aurei dentis.

De tempore ſingulorum difficile dictu eſt, fortè etiam impoßibile, ſed philoſophari lubet, ſi non diuinare licet. Daniel quidem de tempore magnarum calamitatum, & ante aduentum Chriſti in carnem, & ante eiuſdem aduentum ad extremum iudicium docet. In prioribus numerat 23000. dies, hoc eſt, Sex annos, qui fuère Tyrannorum Antiochi & Nicanoris, quos tandem diuinitus excitatus Machabæus vicit & tranquillam pacem reſtituit capite 7. In poſterioribus numerat duplicem numerum: vnum 1290. dierum, alterū 1335. alter igitur continet tres annos, ſex menſes & paucos dies, alter tres annos, octo menſes & aliquot dies, ambo ſeptē annos & tres ferè menſes cap. 12. Sat ſcio alios aliter intelligere, ſed eò in ſententiam Melanchthonis, qui vult Angelum apud Danielem de nouißimo tempore loqui. Nam reuera Daniel de eo

Tempus earum ex prædictione Danielis.

qua-

quærit, & Angelus reſpondet, quaſi dicat, vix dici poſſe: & tamen addit prudentes intelligent, ac hiſce duobus numeris finem mundi vel potius tribulationum in mundo ante publicam quietem & pacem addit. Deinde Daniel cum de omnibus Monarchijs doceat in vltimo capite, de miſerijs extremæ Monarchiæ dicat neceſſe eſt. Quod ſi nihil etiam Daniel prædixiſſet, veriſimile tamen eſt, quamdiu continuata fuêre bella Antiochi contra Iudæam, tamdiu etiam duraturum bellum Turcicum in nouiſſimo tempore, imò eâdem ratione epitaſin belli Antiochi & Turcæ vſq; ad quartum annum fore, poſtremis tribus annis Machabæum, hîc principem antedictum excitatum iri, qui calamitates adeò magnas mitiget atq; reprimat, ille Antiochum, hic Turcam, donec octauo anno circa initium cæſis Gog & Magog, id eſt, Turcis atq; Tartaris aureus dens in effectum veniat, & regnum magnum atq; pacatum ſuccedat.

Tempus ex collatione hoſtium Eccleſiæ ante aduentum Chriſti in carnem.

Tempus excitati fortiſſimi Principis.

Tempus maximi præ-tij cum Turcis & Tartaris.

Sic quoq; omnia pulchrè congruunt

duo-

Tempus epitaſis cruentæ cladis ann. 1526.

duobus numeris : Epitaſis tragicarum calamitatum ex rabie Turcicâ priori 1290. qui ſi computentur ab initio Turcicæ Tyrannidis, expugnata metropoli Croatiæ VVibitſch incœpto anno 1592. Epitaſis hiſce annis magis magisq́; augebitur uſq; ad annum 1596. ſupra dimidium. Cataſtrophe poſteriori 1335. quæ valde tragica caſis Gog & Magog finietur anno 1600. quem multi præmonuêre & pacem tranquillam aut regnũ aureum Eccleſiæ reddet, ut illud impleatur : Beatus qui perſeuerauerit & perueneurit ad diem 1335. tu vade ad finem & quieſces.

Hanc ſummam libri vel diſputationis iſtius de AVREO DEÑTE *ideo ſcribendam in fronte eius duxi, quod viros Principes & alios gubernationis onere tantum non oppreſſos, omnibus perlegendis vacare non poſſe ſcirem. Qui verò velint, ea quæ ſequuntur cognoſcere queunt.*

D O-

DOCTRINA DE AVREO DENTE MAXILlari pueri Sileſij.

IACOBVS HORSTIVS Medicinæ D. & Profeſſor, Senior ordinarius ſtudioſæ iuuentuti S. D.

MENS HOMINIS *præcipua animæ rationalis pars, eaq́; incorporea atq; intelligens, etſi eſt imago* DEI *& radios notitiarum inſitarum, vel quod verius dixeris, lucis diuinæ alicubi de ſe ſplendidè ſpargit: tamen labe corruptæ naturæ ita inquinata habetur, vt vix ſatis pro dignitate emicet, in multis etiam planè hebeſcat ac cæcutiat. Qua de cauſa ab ineunte ætate ſcintillula eius in has vitæ mortalis ſordes demerſa, multis & documentis & exemplis ſubinde exuſcitanda venit. Hoc teſtantur omnis generis doctorum ſcripta & exercitia. Nonne in Sacris mens, niſi lucerna verbi Dei illuſtretur, & numine Spiritus Sancti regatur: ſtupet & non rarò innumeris erroribus ſcatet?*

Mentis acumen minima ex parte imaginé Dei refert.

Mentis caligo maxima ex parte.

1. In Sacris.

2. in Politicis. *Nonne in Politicis niſi lex naturæ à prauis opinionibus repurgetur; & tùm morali Philoſophia, tùm ſtudio Iuris confirmetur planè cæcutit & omnia in rebuspublicis peruertit?*
3. in Phyſicis. *Nonne in Phyſicis rerum naturam & communem & propriã hiſce noſtris temporibus cũ magnas moliatur mutationes Architectus naturæ ſummus, & admirandam oculis mentis corporisq́; Deus ſubijciat, negligit, faſtidit, & non multò magis quàm bos aurũ, vel Cyclops cœlũ aſpicit? Hic enim nunquam ex antro egrediens nec cœlum intuebatur, nec Deum maiorẽ ſeſe eſſe iudicabat. Ille videt aurum, ſed videt tantùm, neq; rei dignitatem, neq; Dei optimi maximi, qui adeò rem pretioſam ad vſus præſtantiſſimos condidit, benignitatẽ æſtimat. Quare cùm aliàs ſemper, tum nunc maximè, cũ & rabies diaboli magis, quam vnquam antea ſæuiat, & Tyrannis Turcica noſtris ceruicibus immineat, nos animum colligere, mentẽ erigere, & intellectũ vt ad ea, quæ nobis Deus prænuncia futurorũ palàm ſuggerit;*

Prænuncia futurorum digna conſideratu.

rit, attendat, excitare decet. Nec dubito, quin pij & ſanæ mentis docti ſuum facturi ſint officiũ. Perplacuit ſanè mihi q̃ & Theologi & Politici quidam noſtræ Academiæ profeſſores, mentes auditorũ initio huius anni ad meditationes haſce exuſcitarunt: in Phyſicis ac Medicis cũ ego ſtudioſæ iuuentuti deeſſe nec debeã, nec velim, vt antea aliquando de admiranda natura rerũ, ita nunc de AVREO DENTE *pueri Sileſij publicè docebo. Nõ fruſtra anno ſuperiori, nimirum 1593. paucis diebus ante ferias Paſchæ, Chriſtophoro Mullero puero Sileſio ruſtico, molitoris pauperis filio, patre ſuo multo antea orbato, cũ cecidiſſent dentes critico ætatis ſcilicet ſeptimo,* DENS AVREVS MOLARIS *vltimus in inferiori maxilla verſus ſiniſtrã partẽ, eãdem conformatione, magnitudine, numero & poſitu quo alij dentes, enaſcitur. Viſus eſt primũ puellæ, ſimul eandẽ ſcholam pagi VVeigelsdorff in quo ſub Domino hæreditario Friderico à Gelhorn nobile pio & prudenti ac ſupremo magiſtratu Sac. Cæſ. Maieſt.*

Hiſtoria aurei dentis molaris.

Teſtimonia huius hiſtoriæ.

natus eſt frequentanti : deinde multis illuſtribus Principibus Sileſiæ, nobiliſsimis viris, ac alijs : Poſtremò mihi anno 1594. menſe Septembri, qui eum diligentius & contemplandum & tangendum & lapide Lydio probandum eſſe duxi. Aurum aperto pueri ore ſtatim ſplendere video, dentem tango, rotunda figura, in ſumma ſuperficie aſperum, 4. apicibus ac media cauitate de more maxillarium, magnitudine eâdem, aut paulò maiori, numero vltimum, poſitu iuſto ſatis firmum ac immobilem, & gingiua ſalubri rubicante circumdatum, deprehendo. Neq; hæc mihi ſufficiunt, iubeo cibum dare puero, in medio prandio iterum ad me reuoco & ſcire cupio, an hoc dente aureo ſicut alijs in maſticatione vtatur, cibum commanſum adhuc in dente inuenio, ore aqua proluto Lydium lapidem fricando adhibeo, aurum Rhenanum & paulò melius eo inuenio. Obſeruo quoq; alios dentes eſſe integros, niſi quod vnus ac proximus huic nondum renatus eſſet, quem fortè

Dentis aurei vſus in puero Sileſio.

Deus

Devs *ideò retardauit, vt tanto magis ille* Devs avrevs *conſpicuus omnibus eſſet. Conſidero inſuper naturam: complexionis calidam & ſiccam, ingenium acre & mores faciles in puero, ne quid digniori meditationi noſtræ deeſſet. Etſi verò multi non credunt rem ita ſe habere, qui facilè conuinci queunt, cum hodie alterum adhuc annũ* Dens avrevs *duret, plures viſo tantum eo acquieſcunt, plurimi conſiderationem eius faſtidiunt, nihil à Cyclope illo Euripideo diſtantes: tamen nos cum omnibus pijs & ſapientibus attentè hoc ædificium* Dentis avrei *in puero Sileſio ante dicto contemplabimur, penitius introſpiciemus & liberali mente ad ſapientiſsimam Dei architecturam referemus, imò etiam huius prodigij à condito mundo hucuſq; inauditi ſobrias & eruditas interpretationes modeſtè pieq; inquiremus. Qui hiſce prælectionibus & meditationibus noſtris de aureo dente pueri Sileſij intereſſe velint: Cras hora octaua matutina in auditorio magno*

Pueri complexio.

Dentis aurei duratio ad alterum vſq; annum.

conuenient, meumq́; ſtudium inquirendi abſtruſa atq; excolendi ἰατροφυσικὰ, imo etiam excitandi mentes veſtras ad admiranda Dei opera boni conſulent. Valete. Datum Helmſtadij in Academia IVLIA. *12. Ian. Anno 1595.*

DE AVREO DENTE pueri Sileſij.

Vtilitas doctrinæ de aureo dente apud omnes homines.

DENTIS AVREI MOLARIS *digna conſideratio cùm ad omnes homines, tum verò inprimis ad Medicos pertinere videtur.*

Vtilitates eius apud Medicos.

Nam ſerio attendenti ad nunquam antea viſum, vel auditum dubium oritur:

1. *Vtrum naturalis ſit an verò miraculoſus:*

2. *Deinde vtrum prorſus talis, an verò partim naturalis, partim miraculoſus: quorum hoc ſi ſtatuatur & Theologus & Phyſicus de eo diſſeret, ſin minus aut planè naturalis erit & φυσιολογικὸν deſiderabit, aut totus miraculoſus, & tunc quoq; eum non omnino reſpuit. Prodeſt enim huic ſcire & alta mente repoſtum eſſe,* DEVM *cauſis ſecundis alligatum non eſſe. Etſi igitur ordi-*

ordinem naturæ inſtitutum à ſeipſo D E V S *amat nec facilè mutat, tamen cum vult poteſt, & non rarò præter & ſupra ordinem naturæ agit. Deinde Medicus non tantum in Phyſicis,* 4.
quorum conſtantem ordinem ipſe D E V S *eſſe voluit, ſed etiam in ijs quæ ſupra curſum naturæ fiunt, ſummam potentiam, bonitatem atq; efficacem præſentiam conditoris reuerenter animaduertat, nam naturalibus & miraculoſis è regione oppoſitis ac diligenter inuicem collatis ea immenſa atque admiranda relucet. Congruit hiſce illud* περὶ εὐσχη-
Hippocratis, libro de elegantia Medici: μοσύνης Medici.
Cumq; in alijs affectibus & ſymptomatis Medicina erga D E O S *valdè reuerenter ſe habere comperitur, tùm verò Medici dijs locum dant, numenq; omnia regens in medicina, minimè ſuperfluum & ocioſum eſſe animaduertunt, & in ijs morbis quos ipſimet aggrediuntur, & in ijs, quos per ſe abſq; ſua opera ſuperari vident. Quotquot Medicina vincit, Deorũ ope vincit.*

*Nam & Medicinæ via ſecundum ſa-
pientiam Deorum eſt munus, & reme-
diorum efficacia ab ijſdem pendet. At
hoc alij non credunt, cum in confeſſo
ſint, ſenſuq́; percipiantur ea quæ circa
corpora fiunt, partim per omne genus
remediorum transformando aut trans-
mutando, partim per Chirurgiam, par-
tim auxiliando medicamentis aut vi-
ctu, & tamen ſumma horum eò redit,*
5. *vt* DII *eſſe cognoſcantur. Mox ge-
ſtiet Medicus aut etiam Phyſicus natu-
ræ ſcrutator & admirator in ipſis mira-
culis cognoſcere tantam Dei bonitatem
& affectionem erga Medicinam, vt cum
miraculis ſuis auxilia Medica coniun-
gat & vſurpari ſimul velit: Id exemplo
Regis Ezechiæ lethaliter laborantis &
cataplaſmatis mortem ſanantis ſacra
ſcriptura teſtatur. Addo quod Medi-
cus hac diligenti conſideratione mira-
culorum Deo iuuante & ſimul meden-
te morbis, ſeſe minimam partem auxilij,
maximam ipſum Deum præſtare intel-
ligit. Quis enim non videt, cataplaſ-*

mate

mate ex ficubus in apoſtemate Ezechiæ hoc factum eſſe? Quis neſcit populum Iſraëlitarum ſiti fuiſſe periturum, cum nihil niſi amariſsimas, quas bibere non poſſent, aquas haberent, niſi DEVS *medicamentũ ligni à Moyſe in aquas miſſum, auxilium naturale docuiſſet, & præterea immediatè vires haſce naturales medicamenti maxima ex parte iuuiſſet. Nam etſi in dubium vocatur, vtrum lignum in aquas miſſum naturali vi amariſsima dulcia reddiderit, an miraculo diuino, tamen neceſſarium eſt fateri, ſecundum naturalem facultatem id effectum eſſe, vel quod* DEVS *in ſuis miraculis naturali auxilio vti ſolet, vel quod etiam Eccleſiaſticus in confirmationem operum Medicinalium & virtutem medicamentorum, exemplum hoc adducit hiſce verbis: Nonne à ligno indulcata aqua amara? Nullum autem eſt naturale, cuius qualitas non certis terminis circumſcripta eſt, pro qua in tantum nec in amplius quid, vires ſuas exercere poteſt. Habet enim modum* Cap. 38.

omnis facultas naturalis, & ſecundum magnitudinem eius quod facit, & recipientis, agit. Quomodo magnes cum poſsit trahere ferrum, ſtatim trahet magnum montem ferreum. Nihilominus à ligno non maiori, quàm vt à Moyſe apprehendi queat, & in aquas mitti, tãtam copiam eorum, quæ tot millibus hominum bibentium ſufficeret, dulcorari eſt miraculoſum, vbi DEVS *immediatè maxima ex parte, naturalis vis ex minima agit, profectò adhuc hodiè miracula hac in curatione grauiſsimorum morborum in pauperrimis, qui Pharmacopolæ pro pluribus ſoluere nequeunt, deprehendimus. Edoctus igitur ex doctrina miraculorum Medicus gaudeat, ac in medela ſua inſufficienti magis confir-*
7. *metur. Poſtremò miracula omnia Medico attendenti, ſeriò atq; prudenter in curatione ægrorum plurimũ conducunt ad prognoſtica certiora. Si enim in ijs quibus medemur, per ſe abſq; noſtra, noſtrorumq; medicamentorum ope, multo melius quid ſubinde agnoſcimus, aut*

etiam

etiam plus minuſue, quàm naturales vires medicamentorum ferunt, morbos expugnari ſanitatemq́ reſtitui. Quis non ſimul iuuante Deo optimo maximo, certius euentura meliora prædicet? E-contra ſi in iiſdem nullo impediente naturali interno neque accedente externo errore medicamenta noſtra & toties à nobis in aliis vel etiam in iis ipſis probata & adhibita in iuſta qualitate, quantitate, tempore, & modo vtendi, nihil quicquam operantur purgantia ne minimum quidem, ne dum eum humorem quem debent purgant: digeſtiua non alterant, & corroborantia non vires addunt; cur non morbum deteriorem fore & mortem ſecuturam certò certius præſagiamus? Quare & alios & Medicos inprimis tùm omnia miracula, tùm etiam maximè hunc AVREVM DENTEM, *inſtante maiori diabolica rabie atq; crudeliori ſæuioriq́ Tyrannide Turcica in vicinis regionibus, penitius conſiderare, & vndiqua-*

diquaq; rectè æſtimare decet, de quo nobis tria hæc problemata.

I. Vtrum dens aureus maxillaris pueri Sileſij naturaliter enatus ſit nec ne?

II. Vtrum dens aureus ſit prodigioſus necne?

III. Vtrum digna eius interpretatio dari queat?

Proponere modeſtè & ſobriè licet, fateor meam tenuitatem & magnitudinẽ myſterij. Nihil mallem quàm noſtra συζητήσει doctiſsimos quoſq; præſertim in Italia, Hiſpania, & Gallia, quos magni ſemper feci, ad meliorem & declarationem & interpretationem incitare.

PROBLEMA I.

Vtrum dens aureus maxillaris pueri Sileſij naturaliter enatus ſit, necne?

Occulta ſunt duorum generum. I. Simplicia. Subdiuiſio. 1. Occulta in rerum natura. 2 Miracula.

Difficilis ſanè eſt quæſtio. Quam ob cauſam paulò altiùs naturam omnium occultorum & abſtruſorum inueſtigare oportet. Horum alia ſunt, quæ natura conſtantem ordinem motumq; habent, vnde naturalia abſtruſa vel occulta in

rerum

rerum natura dicuntur: alia quæ ſupra & præter ordinem naturæ aliquando fiunt, & miracula ab admiratione appellantur. Nec rarò mixta ex vtriſq;, hoc eſt, partim naturalia, partim miraculoſa inueniuntur. Miraculorum omnium proprium eſt, quod non congruunt ad conſtantem & vſitatum naturæ ordinem, ſed hunc longè excedunt & aliter fiunt, quàm curſus naturæ aut ſecundæ cauſæ ferunt. Atq; quo magis ab ordine naturæ recedunt, eò magis miraculoſa ſunt, quò minùs eò minùs miraculoſa.

II. Mixta ex naturalibus & miraculoſis.

Miraculorum proprium.

Miraculorum etymologia.

Miracula quæ?

Deinde miracula alia ſunt diuina, alia diabolica. Diuina ſunt opera Dei miranda ſupra naturæ ordinem, quæ ſua omnipotētia, vt vult, facit, In cælo, ſtellis, terra, aquis & omnibus abyſſis vt ſuæ gloriæ ſeruiant. Eorumq́; alia peraguntur immediatè, vt ſiſtere Solis curſum tempore Ioſuæ, eundem retrogradum facere tempore regis Ezechiæ. Reſuſcitare mortuos verè tempore Chriſti & ſimilia: alia mediatè, vel per Angelos,

Miracula duplicia.
1. Diuina.
2. Diabolica.

Diuina quæ?

Diuina duplicia.

Miracula diuina immediata.

Miracula diuina mediata.

vel

vel per homines, vel per naturalia cætera, quorum poſtremò mixta & ex naturalibus & ex miraculis redduntur.

Cauſæ diuinorum miraculorum. *Cauſæ quoq; diuinorum miraculorum conſiderentur diligenter, vt vera diuina miracula certius agnoſcamus & diiudicemus.*

1. Efficiens. *Efficiens eſt ipſe* DEVS, *eſſentia verax, bona, iuſta, caſta, omnipotens. Author igitur eſt omnis boni, & pro ſua iuſtitia raro ab ordine naturæ diſcedit, miraculaq; facit, multò minus obſcœna, vana atq; blaſphema contra* DEVM, *ipſe caſtus & ſapientiſſimus miſcet.*

2. Materia. *Materia vel ſubiectum in quo fiunt miracula diuina, ſunt omnia in vniuerſitate mundi nullo excepto, quia omnia ſunt omnipotentiæ Dei ſubiecta.*

3. Forma. *Forma exiſtit talis, quæ verè ſine ludicris conſtanter, ac ſi rectè perpendatur, grauiter atq; prudenter exiſtit, ſcilicet miraculoſa præter ordinem naturæ.*

4. Finis. *Finis eorum gloriæ* DEI, *commodis hominum cum ſalute animæ ſeruit.*

Effectus diuinorum miraculorum. *Ex quibus ſequitur nullum miraculum diuinum eſſe quod præſtigijs ludicris aut alijs va-*

vanitatibus gaudet, multò minus quod Dei gloriam aut miniſterium verbi Dei offendit; aut commodis hominum cum detrimento animæ inſeruit. Sed neceſſe eſt verum & alienum ab omni vanitate & mendacio exiſtat.

Diabolica quæ?

Diabolica ſunt opera diaboli miranda ſupra ordinem naturæ, quæ ſuis mille artibus, permittente Deo vt vult, facit in multis vt gloriam Dei lædant. Hæc quoq; alia immediatè, alia mediatè per magos, ſed quàm aſtutè vafer ille Dæmon & ſanctimoniam ſimulet, & maleficia diſſimulet, vix dici poteſt. Quam ob rem cauſæ diabolicorum miraculorum non minus accuratè conſiderandæ ſunt. Efficiens eſt ipſe diabolus mendax & homicida. Etſi enim vera ſæpe ſimulat: tamen non omnino à ſua eſſentia impura atq; vaniſſima diſcedit, ac tùm demum mentitur, cùm maxime nocere poteſt. Cryſtalli & diabolica ſpecula, in quibus multi multa videre & occulta aut ſubterranea aut abſentium hominum facta ſciſcitari geſtiunt, non

Diabolica duplicia.
1. Miracula diabolica immediata.
2. Miracula diabolica mediata.
Cauſæ miraculorum diabolicorum.
1. Efficiens.

rarò

rarò fallunt, vt fide digni, qui ijs aliquot annos vſi ſunt, mihi coram reculêre.

II. Materia. *Materia vel ſubiectum, in quo fiunt miracula diabolica, non ſunt omnes homines, nedum omnia in mundo. Sunt enim homines qui nihil in diabolicis ſpeculis videre poſſunt, & in quibus vana atq; irrita ſunt omnia opera diaboli miraculoſa. Fortè ſcire mauis quinam illi, in quos diabolus rabiem ſuam exerceat, ſint? primum pij & impij, ſed hi maxima ex parte, illi quàm rariſſimè, & rurſus hi ad τιμωρίαν, id eſt, pœnam, illi ad μαρτύριον, vt* DEVS *eorum fidem atq; conſtantiam probet: deinde ſi quis phyſicè diuerſas complexiones corporum conſiderat, potiſſimum melancholici & timidi, quos mali dæmones aptiores ſuis præſtigijs & terriculamentis eſſe nouerunt: Omnium minimè ſanguinei cor robuſtum & animum intrepidum præ ſe ferentes, atq; Cholerici audaces. Naturalia verò omnia ſuis impoſturis & miraculis neutiquam ſubiecta habent.*

For-

Forma eorum talis exiſtit vt rariſſimè vera, maxima ex parte ficta & falſa præſtigijs plena deprehendatur, in qua etſi callidè malus angelus multa diſſimulat, tamen non rarò inepta ludicra miſcentur. 3. Forma.

Finis eorum gloriæ Dei ſiue palàm, ſiue callido prætextu bonitatis atq; pietatis fictæ & commodis hominum, inprimisq́; ſaluti animæ nocet. Etſi enim per magica aliquoties ſanitatem hominibus reſtituit, ideoq́; commodis noſtris potius ſeruire videtur: tamen aliquando per eaſdem interficit, & tacitè à Deo homines abducit atq; ſalutem animæ perdit. Ex quibus ſequitur diabolica miracula abominanda eſſe, non omnibus dominari ſicut diuina, teſte etiã Sacra ſcriptura, in qua legitur, Magos Pharaonis ne pediculos quidem vel fictos producere poſſe, multa eſſe meras præſtigias, atq; ea quæ ſunt vera, inepta tamen ludicra ac ſemper noxia haberi. Nihil intereſt diabolum κακοζηλία diuina imitari. Attendenti fucus, dolus atq; fraus facile patet. 4. Finis. Effectus diabolicorum miraculorum.

Hiſtoria huius & ſuperioris anni in Marchia.

In Marchia ducentos ferè homines eſſe obſeſſos, admiranda loqui, vel nunquam viſos noſcere & nominare, mortuos etiam quoſdam reſuſcitatos videri, ambulare, pœnitentiam prædicare, immoderatum faſtum luxuriemq́ linteorum & veſtium taxare, pœnas Dei atroces minari, clamitare, ab altiſſimo ſibi demandatum eſſe, vt nolentes volentes pœnitentiam concionentur, ac in viam multos errantes peccantesq́ inuiti reducant, inenarrabili rabie furere, miniſtros verbi Dei acerbè iniurijs, conuicijs afficere, de ſpectris modo angelorum, modo diabolorum quos viderint & loquentes audierint, dicere, Dæmonem ipſum variâ formâ ſpectari, in templo inter concionandum magno cum ſtrepitu per aërem volitare, ibidem Hui, hui, clamitare, res varias & ludicras, modo aurum, modo argentum, modo ligulas in publicam viam proijci, opera ſanè miranda ſupra ordinem naturæ ſunt.

Iudicium de ijs quæ

Quæ verò & qualia ex ante dictis iudi-

iudicare facilè licet. Diabolica enim ſunt miracula, ſed vtrum immediatè, an mediatè per magicos & veneficos fiant Theologi & Phyſici Medici qui coràm, adhibitis Iuriſperitorum conſilijs, omnia diligentius rimantur, dijudicabunt. Author eorum eſt diabolus, nec obſtat, quod ipſi clament, altiſſimum eſſe qui voluit. Nam hic neque mortuos, neq; diabolum prædicare pœnitentiam vult, multò minùs interturbat concionẽ ſtrepitu atq; clamoribus, à miniſterio ſancto abducit, miniſtros verbi conuicijs proſcindit & vanas ludicrasq; præſtigias ſtruit. Deinde non in omnes poteſtatẽ ac rabiem ſuã exercere poteſt. Tertiò præſtigias multas atq; plures vanitates & ludicras etiam hic adeſſe quis nõ videt? Narrantur pro certo, aureum in ſcholam inuiſibiliter proiectũ eſſe, ὑποδιδάσκαλον in nomine ſanctæ Trinitatis accepiſſe manib. & foras extra feneſtrã proieciſſe, redijſſe eũ in ſcholã, & cũ humi iaceret, iuſsiſſe eundẽ præceptorẽ, vt puer rurſus in nomine Trini-

in Marchia fiunt.

Probatio diabolici miraculi à cauſa 1. Efficiente.

2. à materiali vel ſubiecto.

3. à formali.

tatis acciperet, quo facto papyrus viſa fuit. Nonne hæ præſtigiæ fallaces ſunt? Reſuſcitatio etiam mortuorum & eorum ambulatio non eſt vera ſed ficta, vbi in ſpecie huius vel illius mortui mali Dæmones obambulant & oculos hominum faſcinant. Multa his ſimilia dici poſſent, ſi ratio temporis ferret. Sufficiat pro multis hoc vnum. Lemgouij in VVeſtphalia tres ciues fuerunt, qui peregrè abierunt ante paucos annos, cum vnus horum in ſyluula exonerandæ alui gratia commoraretur, ibi pulcherrimã virginem videret, & rem cum ipſa nimis diu haberet, cæteri duo comites redeunt, ipſum quærunt & in venere impura cum vacca mortua inueniunt. Quid multa? obiurgant ipſum, & vi à cadauere auferunt. Is præſtigijs diabolicis cognitis lachrymabundus dolet, & iurando teſtatur ſeſe nunquam pulchriorem virginem vidiſſe, amore eius deceptum in rem veneream cum ea congreſſum fuiſſe. ô vaniſſima figmenta & præſtigias diabolicas! Mortui qui in Marchia

Hiſtória præſtigiarũ diabolicarũ prope vrbem Lemgouium.

hia ambulant, non magis ſunt ij, quàm Samuel à Saule per Pythoniſſam ex ſepulchro excitatus, etiamſi ſimularet ægrè factum & loquens diceret ei, cras mecum eris tu. Non enim Samuel erat, ſed Sathan fallax. Neq. hi homines in Marchia ſunt, qui mortui ambulare videntur, ſed mali Dæmones, ſcenæ & præſtigijs inſeruientes quaſi veri eſſent. Quartò gloriæ Dei non ſeruiunt, vtut ſimulant, ſed ſi rem exactius perpendas, eidem magis nocent & detrahunt, quia à miniſterio ſancto verbi Dei alios abducunt, illud contemptum reddunt, ac quod magis eſt, publicè infamant, & cōciones interturbant. Poſtremò effectus idem teſtantur. Adeſt rabies diabolica, falluntur homines dum quid boni inuenire videntur, malum peſſimum nacti ſunt, corpora à Diabolo obſeſſa redduntur, & animi aliorum omnium conſternantur, anguntur, nec reficiuntur. Cur verò tot tantaq́ diabolis permittantur inſtante Tyrannide Turcica & fine mundi, Apoçalypſis 20. capite monere

Reſuſcitatio mortuorum in Marchia eſt diabolica & ficta ſicut Samuelis per Pythoniſſam.

4. à finali.

Poſtremò ab effectib.

Cauſæ miraculorum diabolicorum.

videtur, in vltima plaga, cũ mille anno, diabolus in abyſſum inferni clauſus fuiſſet, paulò ante finẽ mundi per breue tempus rurſus exire & in multos ſæuire permittitur. Sed de miraculis ſatis.

Occulta in rerum natura quæ? Occulta naturalia duplicia.

Occulta verò in rerum natura non quæuis naturalia, ſed quorum ſunt abditæ cauſæ intelliguntur. Huiusmodi occulta duorum ſunt generum. Vnum eorum quæ ſagaci induſtria & ſolerti ſtudio doctiſſimorum inueſtigari queunt, dum cauſas naturales vel latentes abditasq́ inueniunt, omnemq́ modũ actionum naturalium in his abſtruſis eruunt atq; in lucem proferunt: Alterum eorum quorum nec cauſa, nec ratio vlla reddi poteſt. Vnde ἀναιτιολόγητα dicuntur. Sed rurſus horum alia ſecundum totum, alia ſecundum quid occulta & abſtruſa manent. Atq; in poſtremis mens ſapientis decernat & quæ natura & quæ ſupra ordinem naturæ ſeſe habeant, hæc admiretur & cum reuerentia numinis diuini ſuſpiciat: illa accuratè rimetur, ſubtiliter inueſtiget, nec indagare deſiſtat,

1. Eorum quorum ratio reddi poteſt.

2. ἀναιτιολογήτων.

484

ſtat, donec naturam, vires & modum actionum penitiùs cognouerit. Quare vt in DENTE AVREO *ſpontè ac ſine omni dolo, fraude & magicis artibus enato hiſce annis in puero Sileſio dicto Chriſtophoro Mullero de omnibus certiores ſimus, hiſtoriam, quam cum multis alijs fabuloſam credidiſſem, niſi coràm dentem maxillarem ſplendentem in ore oculis meis vidiſſem, manu digitisq; meis tetigiſſem, atq; lapide Lydio probaſſem, priùs bona fide copioſius recenſebo.*

Iohannes Muller ruſticus faber lignarius & molitor, qui propter egeſtatem, cùm propriam molam non haberet, alijs ſubinde inſeruiret, atq; honeſtè vſq; ad finem vitæ viueret, in pago Sileſiæ VVeigelsdorff, cuius hæreditarius dominus eſt FRIDERICVS *à Gelhorn, in veteri Grotkauu & Rogauu, &c. vir nobilis, pius atq; prudens: Supremus verò magiſtratus, Sacra Cæſarea Maieſtas. Duxit vxorem Hedvvigk natam in pago Ducatus Vratiſlauienſis Enderſdorff: vtriuſque coniugis fides atq; integritas*

Hiſtoria AVREI DENTIS copioſior.

nobili antè dicto domino ſuo ita probata eſt, vt eis potius, quàm alteri tabellario multa committerentur. Ex his anno à nato Chriſto 1585. 22. Decembris naſcitur filius Chriſtophorus Muller, qui baptizatur die Stephani, educatur honeſtè, ſeptimo anno ætatis ſuæ, nimirum anno à nato Chriſto 1593. in ſcholam pagi huius VVeigelsdorff cum alijs pueris, puellisq́ ingreditur, ſuum facit officium ſcholaſticus, cùm appropinquarent feriæ Paſchæ, octo diebus antè à puella DENS AVREVS MAXILLARIS *vltimus verſus ſiniſtram partẽ ei enatus, & ſatis ſplendens conſpicitur, poſtea à multis alijs, mox res in admirationem adeò venit, vt & Illuſtres Duces Sileſiæ Lignicenſes, Brigenſes, Munſterbergenſes, &c. & multi nobiles, ciuesq́ puerum ad ſe accerſerent, inprimisq́ Reuerendiß. & Illuſtriß. Princeps ac Dominus, Dominus Andreas Epiſcopus Niſſanus & ſupremus Sileſiæ capitaneus, eum ad ſe Niſſam vocaret, ac Chirurgorum opera diligenter robur dentis & omnia, ne quid doli*

 185

doli ſubeſſet, exploraret. Ego anno ſequenti, nimirum à nato Chriſto 1594. menſe Septembri vendendarum ædium mearum gratia in Sileſiam Sueidnicium profectus, & in itinere filium nobiliſsimi ac integerrimi viri FRIDERICI *à Gelhorn febricitantem curans, facilè impetro, vt puer cum matre Reichenbachiũ, quæ ciuitas à VVeilgelsdorff vnum miliare diſtat, ac tùm ædium magnificentia, tùm ciuium doctorum copia quotannis creſcit, veniat. Quid multa? ego cum Conſularibus Reichenbachianis, & Notario Melchiore Horſtio agnato meo, in cuius ædibus verſabar, ante prandium* DENTEM AVREVM *pueri huius bis aſpicio, digitis meis apprehendo, tango, hinc & inde moueo, ſed vndiquaq; firmum & immobilem reperio, ore aperto* AVRVM *dentis ſplendere video, molarem vltimum in maxilla inferiori, eaq; ſiniſtra eſſe intelligo, magnitudine in craſsitie paulò maiorem alijs maxillaribus, altitudine & figura eundem, radici eius carnem vel potius gingiuam pla-*

nè ſalubrem, mollem rubicundamq́ circumdatam deprehendo. Obſeruo quoq; puerum omnès dentes id temporis, ſcilicet anno ætatis ſuæ octauo habere niſi vnum maxillarem vicinum, quem non vna cum alijs creuiſſe notandum duxi, quod DEVS *& natura hunc* AVREVM DENTEM *tanto magis conſpicuum omnibus eſſe vellet. Venit autem* [illegible] *in mentem dubium, an hoc dente aureo æquè ac alijs oſſeis cibos maſticaret, ideoq́ monui hoſpitem agnatum meum, vt puero & matri prandium daret: quo vix peracto tertia vice eum ad me & alios Senatores huius oppidi reuoco, os eius iterum aperio, & cibum maſticatum in aureo dente maxillari adhuc inuenio. Deniq; os aqua prolui iubeo, & Lydium lapidem* DENTI AVREO *adhibeo, fricando aurum probo, quod Rhenanum aut paulò melius Rhenano viſum fuit, ſicuti multi Vngaricum cenſent. Cætera etiam in puero conſideranda non omitto, puer eſt calidæ & ſiccæ complexionis, habitus corporis gracilioris,*

ris, conformationis pulchrioris, ingenio induſtrius, animo facilis ad omnia, ac planè bonus, literarum ita percupidus, vt à me dono ſibi duos libros dari peteret, quos etiam accepit. Nunc porrò videamus hoc miraculum omnibus ſeculis inauditum, ſatis abſtruſum & occultum, cuius generis ſit.

Non deſunt qui artificialem ipſum Dentem aureum aſſerunt, & malo dolo acquirendæ pecuniæ, vel oſtentandi gratia inſertum fuiſſe ſuſpicantur: præſertim cum noſtro ſeculo, quidam Iohannes Pater dictus, ſubdolis technis vſus manus ſubitò ad tergum, nodo indiſſolubili retorſiſſet, & ſeſe miraculosè torqueri à diabolo ſimulaſſet, diuq́; doctiſsimis & ſapientiſsimis quibusq́; in Germania impoſuiſſet, donec Norenbergæ detecta fraude virgis cæderetur, ſed nihil doli neq; ſuſpicionis ſiniſtræ in hoc puero adeſſe certum eſt. Nam Epiſcopus Niſſanus ſupremus Capitaneus Sileſiæ pro ſua prudentia & authoritate iuſsit admouere aureo denti inſtrumenta & explo-

1. Sententia eſſe arte inſertum.

Refutatio huius ſententiæ.

1. Ratio.

exploraréChirurgos an quid arte ſit factum, idq́; magno dolore pueri, vt mater mihi retulit, ſed celſitudo eius nihil tale in puero deprehendit, nec vlla doli ſuſpicio amplius reſtat.

2. Ratio.

Addo quod mortuo patre, puer & vidua eius mater adeò egeret, vt fame periiſſent, niſi Dominus Fridericus à Gelhorn Senior commiſeratione adductus inopiam ſubleuaſſet:

3. Ratio.

& mater cum puero ruri viuerent, vt omnis occaſio inſinuandi crypſin artificioſam eamq́; ſumptuoſam præciſa fuerit.

2. Sententia aureum dentem vi naturali ex imaginatione prægnantis factum.

Deinde ſunt qui putant aureũ hunc dentem planè naturalem & prioris generis, in rebus naturæ eſſe; cuius ratio ſatis dextrè reddi poſſit. Nam exiſtimant matrem prægnantem adhuc vidiſſe aurum, & ex imaginatione vehementi locum illum, quem tetigit digito, aureum factum eſſe.

Imaginationem in prægnantib9 fœtui colorem inducere.

Verum quidem eſt imaginationis tantæ in prægnantibus permagnam vim eſſe, vt plerumq; colorem huius rei, quàm imaginatæ fuerunt, illi parti corporis, quam tunc manu digitisq́; tangunt, inducat, nempe igne-

igneum ex ignis, fuſcum ex nigrorum ceraſorum, rubicantem ex fragorum rubeorum forti imaginatione. Quid-quod magis eſt non rarò ſubſtantiam ſi-milem, vt memini carnea fraga in dorſo, & carnea ceraſa in genis, hac naturali virtute imaginatrice producta me vidiſſe. Sed tamen nunquam ex imaginatione eandem ſubſtantiam factam quis aſſeueret, verbi gratia, ceraſorum aut fragorum, &c. eandem ſubſtantiam quæ horum fructuum exiſtit? quam ob cauſam neq; hac conſtabit ratio, cum Dens aureus hic non tantum colorem vel ſimilem auro ſubſtantiam, ſed planè eandem cum auro acquiſierit, vt lapide Lydio probata eſt. Accedit magnum interuallum ſeptem annorum poſt editum puerum in lucem, quod cauſam hanc prorſus refutat. Nam ex forti imaginatione ſtatim ipſo intuitu & tactu partis alicuius corporis in fœtu immutatio illa naturaliter fit. Quomodo igitur aureo denti huic tribui poteſt, qui neq; tempore geſtationis in vtero, neq; ſtatim

Imaginationem inducere in prægnantibus ſimilem ſubſtantiam, ſed non eandem.

Refutatio huius ſententiæ II.

1. Ratio.

2. Ratio.

poſt editum infantem in lucem extitit? Nullius igitur momenti eſt hac ratio, ex forti imaginatione matris ſumpta.

III. Sententia, aureum dentem vi naturali latenti in aurifodinis factum.

Tertia ſententia eſt eorum, qui alia naturali vi puero dentem aureum creuiſſe affirmant, quod cum montes VVeigelsdorfiani vix vno miliari diſtent ab aurifodinis Reichenſteinenſibus, quæ optimum aurum ferunt, & riuuli aquæ inde deriuentur, vis auri ex ſubterraneis ad ceſpitem & arenam fluminis via inperceptibili redundarit in alimenta ibi naſcentia & in potum quem puer biberet, tanta potentia vt ab vno illo puero ſua complexione aptiore & magis diſpoſito ad aurum gignendum in actum reducta ſit, atq; hoc modo dens aureus creuerit. Neq; obſtare quod rarius fiat vel etiam in vno dente. Nihil enim agere poteſt in aliud, niſi aptitudinem valde ad hoc ipſum diſpoſitam habeat. Huic ſententiæ ſuffragantur exempla alia. Alexander Neapolitanus certis ac fide dignis authoribus ſe comperiſſe ſcribit, vites propè Danubium quan-

Aptitudo patientis magnā vim habet.

Vites quæ clauiculos & folia aurea tulerūt.

quandoq; emerſiſſe, quæ clauiculos & folia ex puro auro candicantia tuliſſent, eaq; regibus & ſummis ducibus dono data fuiſſe. Gaudentius Merula annotat, iuxta Schemnitium vrbem Panno- niæ idem contigiſſe, idq; refert Baptiſta Fulgoſus, ſicuti etiam Mizaldus lib. 2. mirabil. cap. 1. Addo, quod hi omnes cauſam harum rerum aurearum aurifodinis ibidem ſub vite latentibus aſſcribunt. Ratiocinantur enim vi quadam naturæ vna cum cœlo auxiliares manus præbente ſuccum metallicum, eum qui eſt materia auri, à plantis & vite attrahi & rapi, præſertim cum ex intimis viſceribus terræ ad ſuperficiem & ceſpitem vſq; redundet, ſicq; aurum purum euadere, vnde hi etiam putant illud Virgilij de aureo virgulto exorto non planè fabuloſum eſſe. Concludunt igitur aureum dentem pueri huius Sileſij & nati & educati, in radice montium fœcundorum auri, imò etiam propè aquas auri diuitijs olim circumfluentes, vnde vicinum ac perpulchrum oppidum

Cauſæ vitis aureæ. 1.

Lib. 6. Aeneid. Aureum virgultum Virgilij.

pidum

Etymologia ciuitatis Reichenbach. *pidum Reichenbach dictum videtur, planè naturalem prioris generis eſſe, dum aliquid partium corporis huius*
2. *pueri ad aurum diu & ſenſim diſponi cæptum ſit, quod puer vel alimentis, in quibus vis auri lateret, veſceretur, vel etiam aquis riuulorum ex montibus auri feracibus pro potu vnà cum matre*
3. *frueretur. Accedit quod cœli clementia & aſtrorum influentia, quæ iſtis aurifodinis fouet, etiam aliquid huic puero eodem in loco ad generationem aurei dentis conferre potuiſſet.*

Refutatio huius ſententiæ III. *Sed totum eſſe naturalem hiſce de cauſis non concedo, quia antedicti au-*
1. *thores ipſi fatentur, modo & via imperceptibili rapi & attrahi aurum à clauiculis & folijs vitis aureis factis.*
2. *Deinde etſi in ſuperficie montium aliquando aliquid auri etiam detectum inuenitur, idq; rariùs, tamen conſtat id non ſupra terræ faciem genitum, ſed*
3. *tempore detectum eſſe. Tertiò neq; aureæ arenulæ quæ in fluminibus inueniuntur, vt in Gange, Tago, Rheno &*

mul-

 18)

multis fluminibus vel riuulis tùm Sileſiæ, tùm etiam Boëmiæ non ibidem generantur, ſed in profundiſſimis fodinis montium, quos ſi raptim præterfluentes lambant, aut de ijs deciſum aurum ſecum rapiant, tales fiunt. Quartò ra- 4.
riſſimè aurum purum vel in fodinis auri, vel in arenulis naſcitur aut inuenitur, quomodo igitur in folijs & clauiculis vitis enatum perhibetur? vt de ijs antea ſcriptis meritò dubitem, præſertim cùm ego Archiater Auſtriæ inferioris prouincialis, isq́ primus conſtitutus, & tùm in Auſtria, tùm in Vngaria Medicinam multis cuiuſcunq́ ordinis ægris factitans, nihil horum vnquam audiuerim. Deniq́ omnium maximè obſtat, 5.
quod à condito mundo hucuſq́ nullus dens vllius animalis, nedum hominis aureus enatus legitur. Itaq́ ſatis ſuperq́ conſtat aureum dentem huius pueri planè naturalē, ne hac quidem ratione eſſe.

Conſequens igitur eſt abſtruſum & occultum hoc aurei dentis antea nunquam auditum poſterioris generis exi- 4. Sententia aureū dentem magiā diabolicā factum.

ſtere, hoc eſt, miraculoſum, ſed & in hoc variant ſententiæ, alij putant ſecundum totum tale exiſtere: alij ſecundum quid: prior eſt eorum, qui magica incantatione τέχνας *huius aurei dentis ſtrui ſuſpicantur, ideoq́ miraculum Diabolicum autumant.*

Refutatio huius ſententiæ.

1\. *Sed cum & parentes pueri honeſtè integerrimeq́ vixerint & magiſtratus eorum Fridericus à Gelhorn, opera horum familiariter vſus fuerit, iſq; adeò pius & circumſpectus habeatur, vt ne minimum quidem* τέχνας *magicas ferat, multò minus homines* ἀθέες *ſuis ſeruitijs dignos æſtimet, nihil ſuſpicionis de magicis ſupereſt.*

2\. *Ipſe quoq; Reichenbachij in oppido viciniori de matris viduæ integritate & fide certior factus, intellexi nemini eam de magicis vnquam ſuſpectam fuiſſe, itaq; exteris ſuſpicio magicarum technarum cum aureo dente, meritò euaneſcit.*

5\. Sententia aureum dentem partim naturalem, partim miraculoſum eſſe.

Poſterior ſententia eſt eorum, qui aureum hunc dentem maxillarem pueri, partim naturalem, partim diuinitus miraculoſum ſtatuunt, quos ſine dubio re-

rectius ſentire puto. Naturalis enim quodammodo ille Dens AVREVS *exiſtit, ſi vel cauſam efficientem, vel formam, vel modum actionum, vel locum ſpectamus. Econtra præter ordinem naturæ ſeſe habet tam præſtans materia huius dentis, multaq́; alia. Sed ne omnia confundamus, ſingula penitius introſpicere, diſtinguere, ac ſuo loco docere conſultum erit.*

Nunquam autem rem ipſam rectiùs ſciuerimus, quàm ſi cauſas omnes teſte Ariſtotele 1. *Phyſic. auſcult. cap.* 1. *cognoſcamus. Efficiens eſt externa cauſa ortus & productionis dentis aurei. Eaq́; duplex, vna principalis, altera inſtrumentalis. Principalis rurſus, vna prima nimirum ipſe* DEVS *author & naturalium & miraculorum, effecit hunc duplici ratione, alia ſecundum curſum naturæ, vt poſt docebimus, alia præter ordinem, naturæ cum ſuâ omnipotentia materiam & formam eſſentialem, longè precioſiorem quàm alijs dentibus tribuerit, & aurum huius dentis ſenſibile*

Quatuor cauſæ in aureo dente.

1. Efficiens cauſa aurei dentis.

1. Principalis eſt DEVS.

2. Principalis eſt influentia aſtrorum.

reddiderit. Altera eſt ſecunda ſcilicet influentia aſtrorum. Nihil omnium naturalium eſt, in quod aſtra ſuo influxu, lumine & vi non agant. Dens igitur aureus, quatenus dens, naturaliter à Saturno, cui dentes ſubiecti ſunt, quatenus aureus, à ſole qui auro dominatur, vim ſuam ad affectionem accipit: quatenus dens aureus à Solis & Saturni coniunctione.

Cauſa inſtrumentalis aurei dẽtis duplex.
1. Calor Solis.
2. Calor natiuus pueri.

Cauſa inſtrumentalis efficiens iterùm duplex, altera calor Solis, qui terreum puriſſimum mixtum cũ aqua tanquam ſuccum metallicum fouet, vt aurum fiat. Altera calor natiuus terræ in aurifodinis; in homine verò in hoc puero Sileſio calor natiuus adæquatus aptiſſimusq́; generando auro, qui & in generatione & in conſeruatione aurei dentis non tantum naturaliter agit, ſed & vitali calore affluente viuificatur.

Facultas naturalis vtitur calore natiuo.

Facultas enim naturalis inſita ſingulis noſtri corporis partibus beneficio caloris natiui agit, generatrix de nouo producit: Nutrix & auctrix in ſua ſub-

ſtantia

ſtantia ne quid decedat: Vitalis in vigore: Animalis ſenſitiua in ſenſu, quem aureus dens æquè ac alij, habet. Motiua in motu conſeruat. Natura enim fit vt ſeptimo anno ætatis (nec intereſt, quoſdam paulò citiùs vel ſeriùs dentes mutare) bono ſcilicet critico illo nunquam ſatis laudato, imò ab ipſo Deo benedicto, dentes infirmiores cadant & meliores creſcant, ſicq; imbecilliores cedant firmioribus, licet dentes, ſi qui cadunt & renaſcuntur, non ſunt integri, ſed dentium appendices extra gingiuam prominentes radice ſemper in alueolis manente, opus naturalis facultatis generatricis, in qua & alteratrix & formatrix vis inſita, hiſce partibus corporis ſeſe æquè in aureo dente atq; in alijs oſſeis vſa nutrice & auctrice exerit. Etſi enim anno à nato Chriſto 93. octo diebus ante ferias Paſchatis, ideoq; ſeptimo anno ætatis ſuæ, dens aureus totus viſus fuit, tamen veriſimile eſt & latitaſſe eum intra gingiuam in ſuis præſepiolis & radice antequam erumperet, & ſenſim æ-

Dentes ſeptimo ætatis anno e-mitti & iterum creſcere.

Dentes non integros, ſed appendices tantum naſci.

Tempus aurei dentis enati.

què

què atq; alios dentes creuiſſe. Veruntamen alicubi compertum eſt etiam formatricem facultatem naturaliter in generatione oſſeum dentem tantum, quantus eſſe debuit, ſimul & ſemel produxiſſe. Generationem igitur aurei dentis declarabimus.

Facultas generatrix producit aureum dentem de nouo.

Generatrix vis nititur duabus facultatibus ſubminiſtrantibus, nempe alteratrice & formatrice. Alteratrix ſubiectam materiam non ſolum in primis & elementaribus qualitatibus, ſcilicet, calido, frigido, humido & ſicco, verum etiam in ſecundis, grauitate, denſitate, duritie, & ſimilibus mutat atq; alterat, imò totam per totam temperat vt ex ea dens fiat, ſed vt & aureus dens euadat, iiſdem pluribus alterationibus, ſi ſæpè vel ſemper contingeret, fieri naturaliter poſſet. In ἰδιοσυγκρασίᾳ, id eſt, in proprietate occulta vel totius hominis vel ſingularum partium, vbi ἀναιτιολογήτως ſemper eodem modo quodam ordine naturæ fiunt. Galenus perbellè in lib. de conſtit. artis Medicæ cap. 8. monet, etiamſi

ἰδιοσυγκρασίας ratio.

iamſi occulta & ἀναιτιολόγητος maneat, tamen nihil certiùs eſſe, quàm plures alterationes elementorum talem proprietatem vel ἰδιοσυγκρασίαν cuiuſuis rei efficere. Verba eius hæc ſunt: Quoniam verò infinitas numeroſasq́; alterationes elementorum fieri licet ac temperaturas, innumeræ particularum corporis proprietates conſtabunt. Sed quia & captum rationis excedit, & quam diu ſtetit mundus, nunquam auditum eſt, ex dente oſſeo & nutrimento ſanguinis per venas affluentis gigni aureum dentem in effectione atq; ortu eius quid diuini atq; miraculoſi, quod tamen propè ad naturalem ἰδιοσυγκρασίαν in alteratione accedit, fateri malumus.

ἰδιοσυγκρασίας & miraculorum ſimilitudo.

Formatrix cùm ſemper aliquid τοῦ θείου habeat, tùm maximè in hoc aureo dente. Nonne admiratione dignum exiſtit, naturam ineſſe quæ ſolerter & prudènter velut artificioſiſsimus architectus effecerit figuram, ſitum, conſtitutionemq́; aurei dentis, & actioni & proprijs viribus idonea, vt nihil planè ſit

Formatricis in generatione aurei dentis ratio.

ſuperfluum, nihil ocioſum,& non ad vſum maſticationis læuigationiſq; ciborum factum, ſed tantò magis in admirationem veniat ſubſtantia huius dentis, quanto maiori ſplendore & precioſiori dignitate eum formatrix vis diuinitus ad prodigiū vſq; conceſſa formauit.

Dens aureus conſeruatur, partim naturali, partim miraculoſo modo.

Neq; ſatis eſt hoc modo generari aureum dentem, ſed idem partim naturali, partim admirando (durauit iam duos ferè annos) conſeruatur. Deinde auctus etiam fuit, & ad iuſtam magnitudinem peruenit, atq; in hac conſeruatur perpetuò, vt neq; diminuatur, neq; altiùs quàm alij dentes creſcat, quomodo autem augeri & iuſtam magnitudinem conſequi potuiſſet niſi nutritus fuiſſet?

Dens aureus naturaliter augetur.

Naturalis conſeruatio aurei dentis per vim nutricem & auctricem.

Quomodo iuſtam magnitudinem adeptus aſſiduâ & quotidianâ maſticatione & læuigatione ciborum non diminueretur neq; abſumeretur, niſi facultate naturali nutrice & auctrice deperdita ſubſtantia ſubinde reſtauraretur? Sat ſcio dentium duritiei hoc à quibuſdam tribui. Sed nihil adeò durum eſſe poteſt, quin

quin tot tantiſq; maſticationibus, contritionibus & læuigationibus immutetur, ne dum aurum & aureus dens. Geſtet aliquis aureum annulum in digitis vnum vel alterum annum, & videbit aurum ſenſim abſumi. Præterea quiuis dens molaris ſicuti & hic aureus in ſuprema ſuperficie quatuor proceſſus acutiores & mediam cauitatem habet, vt aſperior tanto rectiùs cibos attenuare queat, cur aſperitas non deponitur? profectò in mola molitorum lapides diu molendo aſperitatem deponere, & ea depoſita rurſus exaſperari arte ſolent. Verum in dente hominis, & in hoc aureo dente itidem aſperi ſemper manent, eademq; ſubſtantia, figura, ſuperficie, magnitudine, numero & poſitu conſeruantur, quod tantum, quantum terendo deperditur, quotidiè nutriendo reſtituitur.

Nutritionis aurei dentis modus.

In hanc ſententiam Galenus perpulchrè de comp. medicamentorum lib. 5. cap. 8. ſecundũ locos diſſerit, his verbis: Ex nutrimento ferè per omnẽ animan-

Dentium incrementum ex nutritione.

E 5 tis

tis ætatem incrementum dentes accipiunt. Id quod euidenter ſæpenumero apparet in his dentibus, qui exemptis oppoſiti ſunt, vtpote qui ſemper augeſcunt. Quantum verò augeſcunt, tantum in ciborum manſu deteruntur. Cum verò impoßibile ſit incrementum accipere citra nutrimentum, omnino duabus affectionibus & his contrarijs obnoxij erunt, inopiæ videlicet & redundantiæ nutrimenti, quod ei ſuppeditatur. Inopia aridiores & macriores alimentumq́; nō ſentientes, & ob id tenuiores reddit: redundantia verò conſimilem in ijs affectum excitare poteſt, qualis eſt circa carnoſas partes inflammatio. Hæc ille.

Dentium vitia duo.

1. Ex inopia.

Marcor dentium

Ariditas dentium.

Stupor dentium.

Decrementum dentiū.

2. Ex redundantia.

Inflammatio.

Dolor dentium.

Ex quibus patet, quod neq; generatio, neq; conſeruatio aurei dentis præſertim tam firma in eodem ſtatu, ſine nutritione & auctione fieri poſſit. In nutritione hac attrahitur materia alimenti per venas affluens, retinetur, alteratur & ſuperfluum expellitur. Etſi enim ſanguis per venas affluit, tamen non omnis ſed frigidus & ſiccus temperatus aqueo

 len-

...nto, communis materia & dentis & ...etallorum, quæ poſtea à calore natiuo ...eri eo in loco & eo in dente multo ...aiori alteratione, digeſtione & con...coctione in aureum dentem tranſit. Ne...que obſtat miraculo, etſi ſecundum quid naturale eſt. Multa enim miracula & & ex naturalibus, & alijs ſupra ordinem naturæ mixtim fiunt. Nutritio enim hiſce quatuor facultatib. perficitur. Miracula ſæpe aliquid naturale habent.

Sed vlterius pergo & dentem aureum vitali facultate ſicut alios dentes in ſuo vigore conſeruari aio. Ratio vna eſt, quia nulla partium corporis noſtri, quæ toti vnita eſt, & actiones ſuas integras obit, exiſtit, quæ non communi hominis vitâ fruatur & vitali facultate per ſpiritus vitales à corde in arterias, indeq; in ſubſtantiam partis influentes conſeruatur. Quare cum dens aureus cibos maſticet, conterat atq; læuiget, & maxillæ inferiori inſitus ſit, neceſſe eſt etiam communi vita atq; vitali viuat. Altera quod ſubſtantia cuiusuis partis corporis noſtri tribus, nimirum

Aurei dentis vitalis vigor.

Ratio 1.

2.

mirum ſolidis, humoribus & ſpiritibus, completur, & quoduis horũ aſſiduo fluore in motu ſuæ propriæ actionis aſſiduè defluit, imò etiam aſſiduo fluore deperditur. Quomodo autem eadem ſubſtantia permaneret, niſi quoduis horum ſubinde rurſus reſtauraretur, ſolidum cibo, humor potu, vel liquidis cibis, aëreum igneumq́ reſpiratione? Quis igitur non videt per ſpiritus vitales, viuificã ſuam vim atq; vitam obtinere aureum dentẽ? Quis non intelligit hoſce affluere vnà cum viuifica facultate in ſubſtantiam huius aurei dentis, ſicut alterius oſſei? Quis negabit Spiritus reſtaurare atq; complere ſubſtantiam igneam aëreamq́ quotidiè deperditam? Ipſo ſanè mortuo anatomiam huius dentis aurei idem declaraturam doctis ſanæ mentis non eſt dubium.

Aurei dentis ſenſitiua vis. *Poſtremò etiam aureus dens ſenſitiua facultate ſenſibiliter potitur. Dolet enim & ſentit ſi vel minimum quid*

Ratio 1. *clàm ipſi aureo denti applicetur. Expertus eſt Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Epiſco-*

*opus Nißanus, qui cum Chirurgicis in-
rumentis dentem aureum tentaſſet an
rte & dolo malo inſitus eſſet, puer ma-
imos dolores dentis ſenſit, vt mater
nihi Reichenbachij in præſentia multo-
rum conſularium virorum dixit. Ex-
pertus ſum ego ipſe cum ibidem lapidem* 2.
*Lydium, neſcio puero & matre, frican-
do leuiter adhibuiſſem, ac omnia ſtu-
dioſe diſsimulaſſem, puer ſtatim eum,
quem nihil quicquam viderat, ſenſit.
Quomodo autem aliter ſentiret, niſi a-* Senſus in aureo dente modus.
*nimali vi ſenſitiua naturaliter per ner-
uos in eaſdem cauitates aurei dentis at-
que in ſubſtantiam eius ingredientes,
eosq́; à tertio pari neruorum cerebri iti-
dem ortos, polleret?*

Scio Columbum Anatomicum cele- Dentis ſupereminentis pars ſentit obtuſius.
*berrimum & dignum omni laude nega-
re ſenſum in dente carni ſupereminen-
te, ſed vt concedo huic eſſe multo obtu-
ſiorem ſenſum quàm radici, ita ei non
prorſus aſſentior, cum experientia con-
trarium in leniſsimo contactu ſupere-
minentis partis doceat.*

Qua-

Naturali à miraculoſaque in effectione aurei dentis.

Quare cum omnia, quæ ad effectionem aurei dentis concurrunt, mente recolemus, alia naturalia, alia miraculoſa deprehendemus. Naturalia quod DEVS *& aſtra in eum non minus atq; in alios dentes ſecundum curſum naturæ agant, ſeptimo anno ætatis dentibus cadentibus hic dens renaſcitur, generatrix vis alterationibus pluribus, ad occultam vſq; ἰδιοσυγκρασίαν, id eſt, proprietatem, vtatur, inſuper nutritione & auctione ad iuſtam magnitudinem producit, in ea hucuſq; conſeruat, vitalis vigorem conſtantem tribuit, animalis ſenſitiua ſenſum, motiua motum, eatenus, quatenus mobili conueniat, largiatur. Sed res ſanè admiranda & quæ captum rationis excedit, ideoq; ſupra ordinem naturæ miraculoſa; quod alteratio tanta & formatio fiat, vt ex ſanguine & ſpiritibus cordis aureus dens conſtituatur, & ſemper ſibi ſimilis, etſi toties contritione facta abſumi aurum ſolet, maneat, imò aurum ſenſibile redditum ſit, & calor natiuus pueri au-*

aurum efficiat, quæ miracula verè diuina in eo DEVS *nobis ob oculos ponit.*

Materia aurei dentis inprimis miraculoſa eſt. Nam os non aurum eſſe debet. Neq; à condito mundo ſimile quid dictum vel auditum fuit. Quam ob cauſam ad DEVM *caput atq; oculos dirigamus & mentem in tantis afflictionibus erigamus, qui non fruſtra tam precioſum, tam amicabile ſignum gratiæ nobis oſtendit. Sed tamen accuratius inueſtiganti hîc quoq; naturale erui poteſt. Materia verò aurei dentis tùm communis, tùm etiam propria conſideranda venit.* Aurei dentis materia.

Materia communis vtriusq; & oſſis & auri ſunt elementa quatuor, quorum alia dum ſuperant & excedunt, alia ſuperantur in miſtione, ita vt qualitates mutentur, ſubſtantiæ frangantur, omnesq; tamen in mixto maneant, diuerſis gradibus in vnam rei ſpeciem nouam coëunt ac vniuntur, & hoc non mirandum veluti multis apparere ſcio, Aurei dentis communis materia.

verum

verum neceſſarium & ſecundum naturæ leges remanentibus elementis in miſtione, alijs fractione & remiſſione ſuarum excellentiarum atq; graduum ipſarum formarum deficientibus, alijs verò ſuperantibus, fieri nouam naturam, nouam formā & medium quoddam, quod non eſt elementum aliquod, neq; omnia elementa ſimul, ſed ſubſtantia quadam miſta pro diuerſitate menſuræ, diuerſorum graduum, modo os, modo aurum, modo aliud quid. In foſſilibus dum aurum gignitur, purior terra & ſimul aquea eſt materia eius. In homine dum aureus dens generatur materia eius eſt ſanguis, non quiuis, ſed terreus miſtus cum phlegmate viſcoſo & lento, id eſt, frigidus & ſiccus humor, ita tamen vt ſiccitas aqueo humore temperetur, & ſenſim euadat aptior ad aurum gignendum, ex quibus conſtat communem materiam & auri & oſſis eſſe, quod pro diuerſitate graduum varient.

Auri materia in aurifodinis.

Auri materia in puero Sileſio.

Materia oſſis & auri cognata.

Propria materia oſsis & auri ſemper eſt humor frigidus & ſiccus, isq; cum aqueo

Auri & oſſis propria materia quoq; cognata.

ueo lento viſcoſoq́, commoderatus. In Auri materia propria in aurifodinis.
rifodinis metallicus ſuccus, hoc eſt,
reus & aqueus excedens factus ex
halationibus humidis intra terram
itentis & à frigore concretus: In cor-
e hominis ſanguis terreſtris puriſſi- Auri materia propria in homine.
s & humor ſeminalis irrorando in-
latus denti, ex quo ſi minùs à calore
tiuo alteretur os euadat, ſi magis au-
n. Cognata ſibi igitur quodammodo
materia oſsis & auri, non tantum
nmunis, ſed etiam propria. Etſi enim
EVS optimus maximus ſummus ar-
tectus pro ſuâ omnipotentiâ aureum
item immediatè abſq; materia afflu-
e vlla generare potuiſſet, & aliquan-
miracula ſua ſine vllo additamento
uralium facit: tamen plerumq; ordi-
naturæ à ſe inſtituto ſimul in plerisq;
raculis vtitur, & in hoc aureo dente
chrum eſt videre curſum naturæ, in
eodem modo ſuccus ſanguinis ter-
s, puriſſimus atq; aqueus, materia &
erationis & conſeruationis auri fit.
quod enim nutritur quisq;, per id,

& ex eo quodammodo generatur. Neq; nutritionem aurei dentis vel ipſius auri in hoc dente aliter, quàm ex ſanguine tali pueri Sileſij quotidiè & ſingulis momentis perfici antea in effectione aurei dentis ſatis ſuperq́; declaratũ eſt.

Aurei dentis materia maxima ex parte miraculoſa.

Nihilominus materia aurei dentis maxima ex parte miraculoſa manet, vel ꝙ in hoc puero, & in hoc vnico eius dente ita diſponatur, vel ꝙ etiã extra montes fœcundos auri in ore hominis fiat, & ſeſe idoneũ tum nutritioni, tum vitæ, tum ſenſibus, tum etiam maſticationi præbeat.

Forma aurei dentis duplex.

Forma aurei dentis, vt aliarũ corporis partium, bifariã conſideranda venit, aut quatenꝰ ſimilaris pars, atq; tunc forma eius erit complexio ſeu temperamẽtũ, græcè κρᾶσις: aut quatenus organica, id eſt, inſtrumentaria, atq; tunc forma eius erit compoſitio decẽs, in conformatione, magnitudine, numero, & poſitu.

1. Complexio.

2. Compoſitio.

Compoſitio aurei dentis in conformatione, magnitudine, numero &

Hæc verò antea ſatis declarata eſt, nec variat à naturali compoſitione aliorum dentium. Conformatio enim eadem eſt, vt narratio hiſtoriæ teſtatur, magnitudo

gnitudo non multum excedit, & ſolent poſtremi molares ſemper eſſe maiores. Numero quoq; vnus exiſtit, in eo loco vbi vltimus ſiniſtræ inferioriſq; maxillæ dens ſitum habet.

poſitu non variat à cõpoſitione aliorum dentium.

Illa à naturali temperamento aliorum dentium non prorſus diſcedit, ſed tantum menſura graduum. Nam abſolutè determinando complexionẽ dentis & auri, ambo ſunt frigidi & ſicci temperamenti. Dentes enim ſicut alia oſſa omnia frigidæ & ſiccæ naturæ ſunt, metalla itidem omnia ac ſimul aurum, quod Galenus lib. 9. de methodo medendi cap. 17. expreſſè docet his verbis: Lapidum ſubſtantia conſtans ſtabiliſq; propter ſiccitatem & frigus eſt: ad eundem modum æris & ferri & auri, & vno verbo omnium, quæ ex terra ſunt, corporum. Sed menſura graduum elementorum, ideoq; ipſo formali temperamento, in ſpecie dens oſſeus & dens aureus, vel dens & aurum variant, licet genere conueniant. Dens aureus magis eſt, ideoq; conſtantior & firmior durare de-

Complexio auri & dentis differt tantum mẽſura graduum.

Oſſa & aurum ſunt frigidæ & ſiccæ naturæ.

Aureus dens firmior eſt & minus afficitur morbis.

bebat, quod attendenti ſi diutius vixerit puer experientia atteſtabitur, ſicuti ſubſtantia quam generatrix cuiuis animalis particulæ imò cuiuis miſto tribuit eſt propriam temperamentum vel complexio, per quam hoc eſt, os, illud aurum, & per quam vnumquodq; miſtum, ſuam propriam formã ſubſtantialem, & ſuum vnicum & ſpecificum eſſe obtinet: Ita propria aurei dentis eſſentia conſiſtit in complexione frigida & ſicca, magis tamen ex omnibus metallis accedente ad temperatam naturam, vnde aurum per ſe conſideratum & abſolutè loquendo, dum ad omnes res in vniuerſitate mundi conferatur, frigidæ & ſiccæ complexionis eſt: collatum verò ad alia metalla temperatum aut etiam parumper calidum dici poteſt.

Aurum cõplexionis frigidæ & ſiccæ quomodo.

Aurum temperatũ quomodo dicitur.

Aurum quomodò Soli attribuatur.

Obſtare nobis ſententia Mathematicorum, qui dentes Saturni, & aurum Solis dominio ſubijciunt, videtur, ſed reipſa nihil, idem enim aliud atq; aliud temperamentum habere poteſt, diuerſa conſideratione. Si abſolutè omnia conſide-

ſiderantur & dens atq; aurum ad omnes res conferuntur, ambo frigidi ſunt & ſicci temperamenti, ac Saturni dominio ſubiacent, licet hoc magis, ille minus, omnia enim metalla ſuam duram, denſam & ſolidam eſſentiam à temperamento frigido & ſicco, vel Saturno habent: Dentes enim ab eodem, niſi quod menſura graduum diuerſa. Si verò eadem ad alia, vt ſi dens ad omnes partes corporis humani, tantum frigiditate atq; ſiccitate ſumma pollet, Saturnoq; ſubiacet, vt Mathematici loqui ſolent. Si aurum ad omnia alia metalla vel temperatum, vt vult Fernelius, habebitur, vel etiam calidum moderatè atq; Soli ſubiacet. Neq; adeo conueniens diſtinctio hæc metallorum ſecundum Planetas à Valeſio in Sacra Philoſophia exiſtimatur.

Dẽtes quomodo ſecundum magis & minus frigidi dicantur.

Sed inſuper non tantùm qualitate, ſed etiam occulta proprietate, eſſentialis forma auri vel aurei dentis inquirenda ſola experientia eſt. Vnde aurum à tota ſubſtantia adeò cognatum, & toti

Forma auri eſſentialis & occulta.

corpori humano & inprimis dentibus exiſtit. Qui factum puto vt Hippocrates in libro de articulis in dentium & maxillæ fractorum aut læſorum collocatione aurum dentibus optimè conuenire ſcribat his verbis: Etſi diſtorti dentes fuerint iuxta fracturam & dimoti, vbi oſſa in ſedem ſuam fuerint collocata, nō duo tantum proximi dentes, ſed vlteriores quoq; præcipuè quidem auro, ſin minus lineo filo alligandi inter ſe ſunt, quoad os corroboretur. Neq; abſq; ſingulari συμπαθείᾳ fieri poteſt, quod adeò omnes homines afficiat, & non tantum valdè bonum cenſeatur, ſed & omnium aliorum commodis in omnibus rebuſpublicis inſeruiat.

Hippocratis teſtimonium de cognatione auri cū dentibus ab occulta proprietate.

Auri vſus in medicamentis.

Aurum ergo omnium metallorum precioſiſſimum præſtantiſſimumq; habetur, non tantum politicè, ſed etiam phyſicè, quia naturæ adeò cognatum exiſtit, & multas vtilitates corpori humano affert.

1. *1. Quod mentem & animum hominis exhilarat vel intuitu.*

2. Quod

2. Quod tùm atteritur ex geſtatione annulorum, tùm etiam vſu poculorum planè aureorum, eorumq́ per antimonium defæcatorum ab omni puritate cor ac vitales ſpiritus præſeruet. 2.

3. Quod vel aurum purum defæcatum ignitum atq; iterum extinctum, in potu cor atq; debilem facultatem vitalem reficit. 3.

4. Quod Syncopen tollit. 4.

5. Quod homines longæuos reddit. 5.

6. Quod folia auri fini, ſiue ſola, ſiue cum alijs ſpeciebus ſumpta mæſtitiam pellunt ac valdè corroborant. 6.

7. Quod atrabilares humores omnium peſſimos retundunt, & in melius reducunt. 7.

8. Quod aurum ignitum atq; extinctum in aqua, ſi quis ea lauetur ſæpius corpus atq; cutim à Mercurio nunquam ſatis expiando, emundat. 8.

9. Quod oculos obſcuriores clarificat. 9.

Nihil etiam auro potabili vtilius eſſet, niſi venenata vis corroſiua in eo inſeparabilis ſemper maneret. Sed ob exi-

miam dignitatem DEVS *& natura aurum tam ſplendente colore, & tam acceptabili gratiâ ornarunt.*

Forma aurei dentis eſſentialis maxima ex parte miraculoſa.

Quibus omnibus rectè cognitis, conſtat aureum dentem ſua forma oſſeis dentibus quodammodo cognatum eſſe, vt ex radice oſſea aureus dens citiùs enaſci potuerit, ſed tamen cum in loco inſolito aurum hoc gignatur, & nunquam hæc precioſa forma vllius dentis viſa fuerit, maxima ex parte miraculum diuinum idq́ magnum à nobis omnibus ad gloriam DEI *celebretur.*

Aurei dentis finis duplex.
1. Naturalis.

Finis aurei dentis nequaquam ſilentio prætereundus eſt. Is verò σαφεςάτως *primum inſeruit maſticationi & læuigationi ciborum æquè ac alij oſſei. Hic igitur finis communis aureo denti cum alijs eſt, maſticatio & læuigatio ciborum, quæ res non caret admiratione ad ſtuporem vſq;, ſed vt materia eſt peculiaris ante nunquam audita, forma ſtupenda, ſplendens, & amicabilis, ita dens aureus alium adhuc finem ſcilicet prodigij rationem magno cum myſterio habet,*

2. Miraculoſus.

et, quem in ſequentibus problematibus rectius explicabimus.

Modus actionum huius aurei dentis omnes haſce cauſas & obſeruationes partim naturalis, partim miraculoſus ſequitur. Effecta aurei dentis.

1. *Dentem aureum criticè ſeptimo ætatis anno generari alio prius cadente.* 1.

2. *Generatricem vim naturalem in productione eius, æquè vſam eſſe alteratrice & formatrice.* 2.

3. *Alteratricem alteratione ſanguinis affluentis licet multo maiori quàm pro natura oßei dentis eum effeciſſe vel generaſſe.* 3.

4. *Formatricem eodem modo, quo alios dentes in iuſta conformatione figuræ, ſuperficiei, & cauitatum in decenti magnitudine, in eodem numero & in debito poſitu formaſſe.* 4.

5. *Imo etiam nutricem & auctricem in aureo dente ſuas vires exeruiſſe, dum eum in eâdem ſubſtantia & magnitudine, quæ aliâs deperderentur & diminuerentur toties conterendo, maſtican-*

do & læuigando cibos duriores in alterum annum vſq; conſeruant. Nemo enim neſcit aurum in annulo carne digiti ſenſim abſumi, quid non oßibus, pane & cibis contuſis? Id quod Galenus de oſſeis dentibus lib. 5. cap. 8. de compoſit. medicamentorum dicit ſecundum locos, & huic aureo denti perbellè congruit. Ex nutrimento ferè per omnem animantis ætatem incrementum dentes accipiunt & euidenter ſæpenumerò apparet in ijs dentibus, qui exemptis oppoſiti ſunt, vtpote qui ſemper augeſcunt. Quantum verò augeſcunt, tantum in ciborum manſu deteruntur. Impoßibile eſt incrementum accipere citra nutrimentum. Hæc ille.

6\. 6. *Vitalem vim per arterias ingredientes in cauitatem & ſubſtantiam aurei dentis, & per ſpiritus vitales eò ruentes viuificare. Nam pars corporis, quæ toti vnita eſt & proprias actiones obit, communi vita fruitur.*

7\. 7. *Animalem quoq; ſenſitiuam per neruos in cauitatem & ſubſtantiã dentis*

201

tis ingredientes, ac à tertio pari neruorum ortos, eum ſenſibilem reddere. Nam & puer Lydium lapidem, quanquam diligenter à me occultatum, quo aurum probabam ac leniter fricabam, etiam non viſum, primo tactu ſenſit, mater eius in præſentia mihi dixit, apud Epiſcopum Niſſenum Chirurgos ſæpè, cum Chirurgica inſtrumenta tentandi roboris gratiâ adhibuiſſent, magnum dolorem puero concitaſſe. Deniq. & hoc naturalis facultatis opus eſt, maſticare & læuigare cibos.

Miraculoſa ac præter ſeriem & ordinem rerum exiſtunt: Miraculoſa in aureo dente.

1. Calorem natiuum corporis ſicut terræ efficere hunc aureum dentem. 1.

2. Materiam aurei dentis adeo alienam & remotam fieri ſanguinem affluentem per venas in cauitatem & ſubſtantiam dentis aurei. 2.

3. Ex radice oſſeâ dentis appendicem auream enaſci. 3.

4. Aurum in dente nutriri, viuere & ſentire. 4.

5. Au-

5. 5. *Aureum dentem gingiuâ, adeò ſalubri ac rubicante molli circumdari ac firmari.*

6. 6. *Auri formam denti ad omnes vſus naturales aptam ſpontè reddi.*

7. 7. *Aureum dentem à condito mundo inauditum eſſe.*

Problema II.

Vtrum dens aureus ſit prodigioſus necne?

Diabolica miracula ſunt ſigna iræ Dei & pœnæ peccatorum.

Huius quæſtionis occaſionem nobis præbuêre priores de aureo dente ſententiæ, quarum aliæ planè naturalem eſſe, aliæ merè miraculoſum & diabolicum aſſeuerabant. Nam ſi diabolicum miraculum, ſiue immediatè fiat, ſiue operante diabolo per magicos, ſit, nihil futuri portendet. Pœna enim Dei *propter anteacta peccata potiùs quàm prodigium cenſebitur. Deinde naturalia pleraq; prodigijs & prædictione futurorum carent. Naturalia rara tantùm ſunt prodigioſa.*

Aureꝰ dens ꝓdigioſus.

Itaq; cum dens aureus ne minimum

qui-

quidem de diabolicis magicis ſuſpectus ſit, nec ex genere planè naturalium, vel eorum, quæ ſæpe ſecundum ordinem naturæ eueniunt, habeatur, nihil certius ſtatuamus, quàm eum aliquid magni prædicere, atq; prodigij rationem reuera habere. Conſtat ex antedictis hunc eſſe partim naturalem, eumq́; non modo rariſsimum, ſed ne à condito mundo huc-uſq; viſum vel auditum, partim miraculoſum eumq́; diuinum. Axiomata autem perpetua ſunt. 1. Naturalia rara ſemper prodigioſa. 2. Miracula diuina omnium maximè: de his nemo dubitat. De illis teſtatur Cornelius Gemma Medicus & Mathematicus celeberrimus. Sed cum ad explicationem huius quæſtionis multum faciat ſimilium naturalium rariſsimarum conſideratio, ea quæ noſtro ſeculo notatu digna ſunt, in rerum natura perpendemus.

Rationes. 1. 2. Naturalia rara prodigioſa.

Nonne Sol, Luna & Stellæ, ſunt res naturales? Nihilominus Geneſ. 1. dicitur: DEVS *creauit Solem, Lunam & ſtellas, vt ſint in ſigna, annos, tempora*

Naturalia prodigioſa in Sole & Luna & ſtellis noſtro ſeculo.

& dies. Eodem modo Chriſtus Matth. 24. docet: Erunt ſigna in Sole, Luna & Stellis, & erit anxietas gentium in terris, vbi prædicit calamitates futuras in fine mundi. Naturalia non prodigioſa. *Quod non immeritò de inſolitis & rarioribus docti intelligunt. Nam Solem, Lunam & ſtellas, diu noctuq́ lucere, & ordinatè moueri cum ſæpiſſimè vel ſemper fiat, nihil prodigij prædicit. Imò non Eclipſes, ſed illæ tantum, quæ magnas & rariſſimas coniunctiones planetarum ſequuntur, portentorum rationem habent. Sic Solis Eclipſin anno 30. nouem diebus præcedebat coniunctio Saturni & Martis ad 19. diem Martij in 27. gradu Tauri.* Naturalia prodigioſa. 1. Coniunctiones magnæ & multæ. *Dein Saturni & Martis cum Mercurio coniunctio in eodem tauri ſigno, ſequentibus diebus accedebat Soli verſanti in octauo gradu Arietis. Poſteriorem videlicet lunæ defectum ad 21. Septembris præcedebat coniunctio Saturni & Mercurij: ſequebatur autem ad 13. Octobr. coniunctio Iouis cum Marte.* Coniunctiones magnas ſequuntur Cometæ. *Ex his phænomenis Appianus prædicit*

futu-

futurum eſſe Cometam, qui ſequente anno 1531. quo Auguſtæ comitia celebrabantur, à 6. die Auguſti vſq; ad 3. diem Septembris luxit, & viſus eſt in 19. gradu, 15. minutis Leonis, latitudinem habens 23. grad. 2. min. ad 13. Auguſti, quo eundem Cometam Appianus primum obſeruauit, qui primis diebus apparitionis ante ortum Solis viſus eſt. Cometæ prædicunt bella.

Ab hoc Cometa anno ſequente, qui erat à Chriſto nato 1532. Turca Solimannus Auguſto menſe Hungaros oppugnauit. Sed ob potentiam & vires Caroli accedentis pedem in patriam retulit, non ſine maxima ſuorum ſtrage. Cometam in Auguſtanis comitijs viſum, Anno 1531. ſequitur bellum Turcicum.

Rurſus Eclipſis contigit anno currente 1555. 4. die Iunij, hora tertia, quæ depreſſa fuit intra terræ vmbram ad viginti vnum puncta ferè, quando octiduo poſt Sol in cancrum ingrederetur, prædominante ibidem Marte cum Mercurio accedente, receptione Martis cum Mercurio per oppoſitum aſpectum in aſcendentibus geminis in medio Eclipſeos. Ab hac Eclipſi anno 1556. die 27. Eclipſes & coniunctiones magnas ſequuntur Cometæ.

Fe-

Cometa ꝓdigioſus anno 1556.

Febr. Cometa duabus horis & beſſe vnius, poſt occaſum Solis oriebatur inſolitæ magnitudinis, in quæ incidebat 16. Martij magna coniunctio Saturni & Martis, & rurſus eiuſdem menſis 4. die cum Saturno coniungebatur Venus, 25. die Sol. Cum itaq; iſte menſis coniunctionum Saturni cum alijs planetis eſſet plenus, non mirum eſt exhalationem iampridem à dominatoribus præcedentis Eclipſeos in cœlum elatam, paulò ante & in hiſce coniunctionibus accenſam eſſe, ſed poſtea de hoc Cometa dicetur quod vix ſimilis viſus fuit, quatuor menſes durauerit & multis annis poſt ἀποτελέσματα edet. Nam cum poſt occaſum Solis viſus fuerit, ſecundum Ptolomæum tardius & fortè 40. anno poſt, ſcilicet 1596. in effectum veniet, & circa hunc annum ante & poſt ἀποτελέσματα eius di: durabunt. Etſi multo plura ſigna in Sole & Luna & Stellis hiſce noſtris temporibus fuerunt, tamen hæc duo exempla de Eclipſibus & coniunctionibus vniuerſalibus, quarum altera præteri-

torum

201

torum recordationem ſuggerit, altera futurorum prædictionem ſubminiſtrat, hoc loco ſufficiant vt ſciamus coniunctiones magnas multorum planetarum, ſubinde magnas mutationes præſagire, easq; tragicas & cruentas, ſi coniunctio Saturni & Martis fuerit.

Accommodemus verò etiam ad aureum dentem. Cum naſceretur puer Chriſtophorus Mullerus Sileſius, fuit initium trigoni ignei. Erant enim eo tempore in Ariete, Sol, Saturnus, Mars, Venus & Luna, coniunctio quidem per ſe magna eſt, ſed tantò maior quod initium trigoni ignei. Certiſſimum enim habetur ſemper ſub initiū trigoni ignei noui inſigne aliquid eueniſſe, vt memorant hiſtoriæ & in ſuis ſcriptis Cyprianus Leouicius. Figura cœli in natiuitate pueri Sileſij cū aureo dente. Sub initium trigoni ignei eueniūt magnæ mutationes regnorum.

Quanto majus & memorabilius dabit nobis initium trigoni ignei. Addo quod quando apparuit primo dens aureus molaris huius pueri, luminaria erant cum Mercurio in ſignis igneis. Quas ob cauſas dens aureus etiam quo- Coniunctiones magnæ tempore aurei dentis.

ad naturalis aliquid magni præſagiet, quoad miraculoſus multò maius: quale verò, nondum dicere licet. Conſiderabimus prius quoq; ſigna noſtri temporis in elementari regione.

Naturalia prodigioſa in elementari regione.

Anno 1572. Stella propè Caſsiopeam, quæ ſuo lumine omnes planetas, & ſua magnitudine omnes 13. Stellas Caſsiopeæ ſuperauit, imo motu proprio per acceſsionem rectam graduum 360. minutorum 10. medium cœli ſeu decimam domum cum Stella Caſsiopeæ & Aſtro Andromedæ catenis ligatæ, occupauit, adeò mirabilis viſa eſt, vt inter ſummos Mathematicos adhuc hodie lis ſit, vtrum ſtella noua, an Cometa ſine cauda fuerit, pleriq; tamen ſtellam eſſe ſtatuunt. Sed propter coniunctionem cum antedictis aſtris omnes prædixerunt ex eâ Tartarorum & Turcarum conſpirationem contra Imperium Romanum, multas clades cruentas & horrendas captiuitates, ſed tamen in fine interitum Turcici Regni. Viſus eſt etiam poſt occaſum Solis, vnde effectus eius

1. Stella propè Caſſiopeam anno 1572.

Stellæ huiꝰ effectus.

1. Bellum cum Turcis & Tartaris.

2. Captiuitates Chriſtianorum.

3. Interitus regni Turcici.

eius tardius incepiſſe videtur. Nam 20. annus qui eſt tertius criticus & tres ſeptimanas complet in 1592. cum bellum Turcicum contra Imperium Romanum cœpit, cadit. Illud igitur ſiue ſtella, ſiue Cometa fuerit, aliquid dirum portendit.

Sed pergo ad alia meteora, quæ in aëre ex exhalationibus terræ & aquæ alijs ſiccis, alijs humidis gignuntur. Omnia ſatis naturalia ſunt, nihilominus quæ rariora vel rariſſima inter ea contingunt, prodigij rationem habent: cætera ſatis vſitata nihil portendunt. Naturalia meteora q̃ prodigioſa.

Itaq; cum meteora ex exhalationibus terræ, partim ſiccis, partim humidis, vel ſanè miſtis fiant duplicia, ex ſiccis exhalationibus in aërem eleuatis, quando conuerſione cœli & lumine aſtrorum incenduntur, fiunt ſanè, quaſi pulchra lumina, duo genera meteororum igneorum, quorum vnum eſt traiectionum, alterum Cometarum. Meteora duplicia. Subdiuiſio meteororũ igneorum.

Traiectiones græcis διᾴττοντες*, apud Plinium diſcurrentes dictæ, diuerſis formis, aut trabis, aut facis, aut ſtellæ caden-* 1. Traiectiones. Variæ formę traiectionũ.

Traiectiones naturales nihil ſignificant.

Traiectiones naturales prodigioſæ.

1. Sagittæ volantes ſignificant mortem magiſtratus eius loci.

Exempla duo.

dentis, aut Draconis, aut Sagittæ volantis, aut Chaſmatis formantur, priores quidem crebrius eueniunt nec quicquam præſagiunt, poſteriores, duæ nimirum Sagittæ volantes & Chaſmata magni prodigij rationem habent. Sagittæ volantes rariſsimè conſpiciuntur & mihi bis viſæ ſunt, & in Morauia & in Boëmia. In Morauia Mezeritij cum in platea vrbis paulò poſt meridiem am-

1. *bularem, & rectà ad arcem Baronum à Held in Kemento pergerem, duosq́; ſocios ambulationis haberem, ecce iaculum igneum à cælo quàm celerrimè volans, prius à me, poſterius ab illis duobus quibus oſtendebam conſpicitur, atq; ſtatim euaneſcit. Sed paucis diebus poſt Sigiſmundus à Held liber Baro à Kemento doctus & integerrimus, isq́; iuuenis & planè ſanus, dominus arcis & vrbis hu-*

2. *ius moritur. In Boëmia cum me curandæ valetudinis ſuæ gratiâ illuſtris Baro Petrus VVock de Roſenberg vocaſſet, & nos duo de vna arce in alteram eodem curru proficiſceremur, rurſus ſagittam igne-*

igneam, quàm velociſsimè volantē poſt meridiem video, & Celſitudinem eius moneo vt retrò reſpiceret, verùm cùm ſeriùs moueretur, priùs euanuit. Celſitudo verò eius dixit mihi, ſi quid tale videretur, aliquem Baronem qui hanc poſſediſſent arcem antea mori, nec euentus fefellit. Etſi Sagittarum volantium prodigium, de quo etiam in Sacris legimus, ad haſce vniuerſales conſtitutiones huius temporis nihil pertinet, tamen hiſce illud axioma, Omnia naturalia rara prodigioſa eſſe, confirmare volui.

Chaſma quòd anno 1561. inferia innocentum puerorum planè igneum, valde rubrum & ſanguinolentum primò viſum eſt, non aliter atq; ignis flammeus ab Aquilone & à meridie exortum, mox in haſtas ardentes vtrinq; ex oppoſitis plagis cœli ſecum quaſi pugnātes mutatum, poſtea ſingulis ferè annis multoties conſpectum, prioribus ſubinde rubrum & cruentum, poſterioribus albicans. Hcc multi narrant in mariti- 2. Chaſma Anni 61. & ſingulis ſequētibus hucuſque. Deſcriptio Chaſmatis.

mis ciuitatibus tùm, cùm mare halecum magis fertile habeatur, ſæpè conſpici, ſed tamen verùm eſt in alijs regionibus Germaniæ ante 1561. annum nunquam viſum eſſe. Sicuti igitur iſthic nihil niſi planè naturale & gratam copiam halecum ſignificat, ita alibi & apud nos, vbi antea nunquam conſpiciebatur, prodigio eoq́; magno non caret. Non deſunt qui ad cruentas clades Belgicas referunt, vel qui ad Gallicas: ſed quia prodigium omne, dato effectu principali, ceſſet, & Chaſma hucuſq; duret ac totum cœlum occupare videatur, maius malum, plures cruentas clades, tùm in alijs hominibus, tum etiam in innocentibus pueris prioribus annis, victoriam verò & liberationem ab hoſtium tyrannide poſterioribus ſignificabit.

Refutatio obiectionis.

Interpretatio 1. Chaſmatis prodigioſi.

Refutatio huius interpretationis.

Interpretatio 2. Chaſmatis prodigioſi.

Cometarũ generatio.

Cometæ, aliâs etiam Crinitæ ſtellæ dicti, gignuntur, cum exhalationes calidæ & ſiccæ, tanquam ignea meteora inciderint in tantam condenſationem: neq; tàm vehementem, vt ob ſuperiorum motum atq; incenſionem, nimis diu & multùm

tùm arderet, neq; tàm debilem vt ſtatim extingueretur, ſed & validiorem quæ mediocriter diu poſſit permanere, & ex exhalationibus terræ, ad ſupremam aëris regionem eleuatis ſubinde augeretur. Horum alij ſunt ſine cauda, alij caudati. Illi aut regulares, vbi eſt vel κομήτης, vndiq; habens comam, vel δισκεύς dictus à diſco, id eſt, perfecto globo, qui in centro perforatus videtur: aut Irregulares, quorum 1. eſt πιθήτης, qui dolij figuram refert, 2. ἀσπιδής, qui habet figuram clypei, 3. δορκὰς, qui hirci aut capri figuram præ ſe fert. Caudati Cometæ ſunt, 1. πωγώνιας, qui barbæ figuram refert, 2. ξίφιας, qui gladij, 3. ἀκόντιας, qui iaculi, 4. ἵππιος, qui equi, 5. κεράτιας, qui cornu. Hi omnes, ſed multò magis ξίφιας, id eſt, enſiformis, cuius generis Cometa ante excidium Hieroſolymitanum & Cometa 1556. qui primum ſine cauda, pòſt cum ea in figura enſis conſpiceretur, fuère, atq; magni quid portendunt, vnde Ptolomæus centiloq. 198. Traiectiones & Come-

Cometæ duplices.
1. Sine cauda.
Subdiuiſio.
Regulares, cuius ſpecies.
1. κομήτης.
2. δισκεύς.
Irregulares.
1. πιθήτης.
2. ἀσπιδής.
3. δορκὰς.
2. Caudati.
1. πωγώνιας.
2. ξίφιας.
3. ἀκόντιας.
4. ἵππιος.
5. κεράτιας.
Cometa enſiformis maximè prodigioſus.

tæ ſecundas ferunt in prædictionibus. Is enim longa experientia ſua teſtatur & aliorum, hæc poſt coniunctiones magnas Solis, Lunæ, & Stellarum in prognoſticis plurimum valere. Sed & alibi docet: Traiectiones præſignificationẽ non habent tantam, quantam Cometæ, cuius rei ratio duplex reddi poßit. Vna quod

Cometæ inter omnia ignea meteora inprimis prodigioſi.

Rationes duæ.

I. *hi magnas coniunctiones & Eclipſes ſequuntur, vt antea declaratum eſt: al-*

2. *tera quod diutius durent, ideoq; diuturniores & vehementiores effectus edunt.*

Cometæ qui plura ſignificent.

Quam ob cauſam Cometæ quoq; alij quid maius, alij quid minus portendunt, prout ſeſe habent vel ad alias vniuerſales conſtitutiones cœli, vel in ijs quæ propria ſunt illarum coniunctionum; atq; adeò per earum conformationes, quia per hæc admonentur, & de ſpecie euentus & de rerum genere, circa quod effectus continget, teſte eodem Ptolomæo libr. 2. τετραβίβλε. Exempla tantum eorum quæ ad futura in hiſce temporibus accommodata ſunt videbimus.

Cometæ tempore

Primum Cometa fulſit cornu figura

208

tempore, quo Xerxes decies centum millibus armatorum Graciam inuaſit, & multis vrbibus direptis ac incenſis, tandem duce Themiſtocle ſuperatur, fugiens vix euaſit. Xerxis effectus.

Deinde Cometa conſpectus eſt Ariſtao Athenis pratore anno 4. Olympiad. 101. cuius ſplendor occupauit tertiam cœli partem. Hunc ſecutum eſt excidium Lacedæmoniorum, vt Imperium Gracia amiſerint, quod nunquam recuperare potuerunt. Cometa qui præſagijt excidium Lacedæmoniorum.

Tertiò Cometa non minor Sole, valdè igneus, Anno 607. à condita vrbe Roma, ante excidium Carthaginis apparuit. Cometa qui præſagijt excidiũ Carthaginis.

Quartò, ante bellum ciuile inter Pompeium & Iulium aliquot Cometa teſte Plinio & Lucano flagrarunt, & mutatio Imperij Romani in Monarchiam hanc vſq; ſecuta eſt. Cometæ qui prædixerunt mutationẽ Monarchiæ Græcorum.

Quintò, Cometa ξιφοειδὴς enſis figura anno 1. Regni Veſpaſiani ante excidium Hieroſolymitanum, quo vix vllum atrociùs, in omnium hiſtoriarum Cometa enſiformis, qui præſagijt excidiũ Hieroſolymorum.

 libris

libris occurrit, integrum annum fulſit.

Cometa qui Turcæ prædixit multas orientas clades.

Sextò, Anno 1472. Idibus Ianuarij viſus eſt manè ante ortum Solis Cometa ſub Libra prope ſtellas Virginis, cuius caput tardi motus fuit, donec peruenit ad Arcturum; hinc per crura Bootis aſcendēs tranſcurrit inter duos polos Zodiaci & æquinoctialis, vt vno die 4. ſigna 20. gradus conficeret, ab vrſa minore digreſſus Cephea attigit, inde pectus Caßiopeæ, ventrem Andromedæ medium, piſcem ſeptentrionalem, vbi propior factus Zodiaco de celeritate multum remiſit: tranſgreſſus autem Eclipticam iuxta 15. gradus Arietis ad ſtellas cœli vſq; peruenit, ibi ſole ſuperueniente occultatus eſt vltimis diebus Februarij, nec ex radijs Solis iterum emerſit, cauda verò ſpectabat ſtellas Libræ. Hic cum Orientalis fulſerit, citò in effectum ſecundum Ptolomæum venit: cum ſub Libra Turcæ malum ſignificat. Itaq; ſecuti ſunt hi motus. Vſuncanus Rex eodem anno plures ciuitates Otthomannicis ademit. Sequenti verò 1473. leui

præ-

prælio 30000. ex Mahometis exercitu fudit. Tertiò, contrà Turca, contra Perſam victor euaſit, 680. hoſtium captis. Quartò, Turcæ cæſi ſunt à Stephano Muldauiæ Palatino 4. Ducibus Turcicis captis, & 36. ſignis militarib. ereptis. Quintò, Matthias Vngarorum Rex ad Sauum flumen, Caſtellum Turcarum magna cum laude ſua expugnauit.

Septimò, Cometa anno 1556. viſus eſt poſt occaſum Solis, id eſt, occidentalis, quatuor menſes, primum ſine cauda, poſt ξίφιας, id eſt, enſiformis, nam 27. Februarij primum conſpectus eſt ſub Libra propè ſtellas Virginis & tardi motus fuit ſine cauda, deinde 6. Martij cum cauda viſus eſt progredi celerius ad 21. ſtellam Bootis, & ſic deinceps in antecedentia ſigna ad latitudinem ſeptentrionalem, donec velociſſimo motu Zodiaci medietate ſeptentrionali ſuperata ad Arietem deferretur, ac licet ibi ob Heliacum occaſum aliquamdiu diſparuit, tamen ipſa flamma non deſijt, ſed paulò poſt in Aprili & Maio iterum conſpe-

Cometa anni 56. qui 40. anno poſt præſagiet Turcæ cruentas clades & excidium.

conſpectus eſt, vt ab Aprili in Maium vſq; rurſus redeundo Cancrum attingeret, ac quod magis eſt, cum Conſtantinopoli 10. Maij, horrendus terræmotus cum multarum turrium, ædium, templorum nonnullorum portæq; Hadrianopolitanæ ruina contingeret, triduo poſt, ſcilicet 12. Maij Cometa Conſtantinopolitanus mirabili ſplendore ita ☽ coniunctus, vt ei inhærere videretur, apparuit. In hoc Cometa obſeruandum eſt, 1. quod viſus eſt poſt occaſum tardiùs in effectus veniat, & fortè 40. anno poſt, ſicuti excidium Hieroſolymitanum 40. anno poſt mortem Christi, qui caderet in annum 1596. Ptolomæus enim dicit Cometas poſt occaſum Solis viſos, euentum ſuorum effectuum tardum, & multò poſt ſignificare, 2. τετραβίβλω. Deinde, idem monet peregrinum hoſtem indicare, qui in illas terras quibus ſignificatur inuadat, Ptolomæus centiloq. 99. Si mouetur ab occaſu Cometa, alienus hoſtis in terram impetum faciet. Tertiò, quod in Libra, cui ſubiecta eſt Hun-

Terræmotus Conſtantinopolitan⁹.

Cometæ poſt occaſum Solis conſpecti tardius in effectum veniunt.

Hungaria & Turcia, minatur Turcis interitum. Quartò, cum diu durarit, diuturnum etiam bellum contra Turcam metuendum eſt, ac quia cum Cometa 1472. motu ac lumine ac omni habitúdine ad ſtellas congruat, ſimilem felicitatem, niſi noſtris peccatis excutiamus, contra Turcam ſperemus.

Cometa 56. ſignificat Turcæ multa mala & interitum.

Meteora ex exhalationibus terræ ſimul humidis & ſiccis inæqualiter miſtis etiam plura ſunt, ſed inter ea, quæ rariora & prodigij rationem habent, primas facilè tenet terræmotus. Eſt quidem naturalis. Nam terra per ſe arida exiſtit ac ratione imbrium multum in ſe continet humoris, adeò vt cum & feruore ſolis, & calore inſito incaleſcat, multum ſpiritus intra & extra terram generetur, atq; is qui extra terram totus plerumq; effluit, ventos generet, qui verò intro influit, dum & quàm celerrimè feratur exire nequeat, vehementiſsimus necéſſariò redditur, ſicq; terræmotum excitat, ideoq; ſi tempore terræmotus nulli venti ſentiantur, tanto

Meteora ex exhalationibus humidioribus.

Terræmotꝰ ꝓdigioſus.

Terræmotus naturalis ratio.

Terræmotꝰ vehementior cum tranquilla tempeſtate.

vehe-

Terræmotus mitior cum ventis.

vehementior exiſtit, ſi venti ſimul ſlant, non adeò fortis, noctu etiam crebrior & vehementior quàm interdiu eâdem de cauſa oritur. Deniq; frequentior in maritimis locis vbi terra fungoſa habetur & magis aquis repletur, rarior ad prodigium vſq; in Hungaria, Auſtria, Sileſia, Miſnia & Saxonia. Itaq; in his vt rari naturalis aliquid ineſt, ita multo plus prodigij. Exempla videamus.

Exempla motuũ terræ prodigioſorum.

1. Vim eius exagerat terræmotus in paſſione Chriſti. Deinde ſecuti vel præcedentes Cometas antedictos idem teſtantur. Tertiò tempore Friderici Imperatoris terræmotus meridiano tempore excitatus, aliquot dies durauit, & multa ædificia in Polonia & Hungaria deſtruxit, hunc ſecutum eſt bellum Turcarum contra Fridericum Imperatorem, quod durauit 28. annos. Quartò Anno 1421. ingens terræmotus Albam Græciam toto triduo concuſſit & tremefecit, ac ſimul alia oppida. Eodem anno Turcarum Imperator Solimannus Belgradum ſeu Albam Græciam expugnauit,

(margin: 1. 2. 3. 4.)

gnauit, Sabatum cepit, & multas arces in Hungaria diremit, Quintò Anno 1552. terramotus in Miſnia non 5.
tantum vrbem Miſenam, Friburgum, ſed etiam vicinam regionem, arceſq́ multas concuſsit, quod ipſe in arce Serhuſiana ſplendidè ædificata, tunc ambulans ſenſi & vidi, hunc eueſtigio, ſecutum eſt prælium cruentum Electoris Saxoniæ Mauritij, & Marchionis Alberti propè Peinum in Saxonia inferiori. Etſi Mauritius Elector Saxoniæ & Miſnenſes victores euaſere, tamen & ipſe Mauritius lethaliter vulneratur, vt triduo poſt moreretur, duo duces Brunſuicenſes icti globo, caderent: & præter alios iuniores nobiles Miſnenſes, 40. viduæ vna die factæ dicantur. Sextò, 6.
Anno 1581. terræmotus Auſtriam inferiorem tantum peruadebat, & inprimis arces Baronum concutiebat, paucis menſibus poſt Barones ac Nobiles præcipui cùm Illuſtri Baroni à Strein ſponſam domum deduxiſſent, vix peracto prandio, fracto tabulato,

Terræmotus mitior cum ventis.

vehementior exiſtit, ſi venti ſimul flant, non adeò fortis, noctu etiam crebrior & vehementior quàm interdiu eâdem de cauſa oritur. Deniq; frequentior in maritimis locis vbi terra fungoſa habetur & magis aquis repletur, rarior ad prodigium vſq; in Hungaria, Auſtria, Sileſia, Miſnia & Saxonia. Itaq; in his vt rari naturalis aliquid ineſt, ita multo plus prodigij. Exempla videamus.

Exempla motuu terræ prodigioſorum.

1\. *1. Vim eius exagerat terramotus in paſſione Chriſti.* 2. *Deinde ſecuti vel præcedentes Cometas antedictos idem teſtantur.* 3. *Tertiò tempore Friderici Imperatoris terramotus meridiano tempore excitatus, aliquot dies durauit, & multa ædificia in Polonia & Hungaria deſtruxit, hunc ſecutum eſt bellum Turcarum contra Fridericum Imperatorem, quod durauit 28. annos.* 4. *Quartò Anno 1421. ingens terramotus Albam Græciam toto triduo concuſſit & tremere fecit, ac ſimul alia oppida. Eodem anno Turcarum Imperator Solimannus Belgradum ſeu Albam Græciam expugnauit,*

gnauit, Sabatum cepit, & multas arces in Hungaria diremit, Quintò Anno 1552. terramotus in Miſnia non tantum vrbem Miſenam, Friburgum, ſed etiam vicinam regionem, arceſq; multas concuſsit, quod ipſe in arce Serhuſiana ſplendidè ædificata, tunc ambulans ſenſi & vidi, hunc eueſtigio, ſecutum eſt prælium cruentum Electoris Saxoniæ Mauritij, & Marchionis Alberti propè Peinum in Saxonia inferiori. Etſi Mauritius Elector Saxoniæ & Miſnenſes victores euaſere, tamen & ipſe Mauritius lethaliter vulneratur, vt triduo poſt moreretur, duo duces Brunſuicenſes icti globo, caderent: & præter alios iuniores nobiles Miſnenſes, 40. viduæ vna die factæ dicantur. Sextò, Anno 1581. terræmotus Auſtriam inferiorem tantum peruadebat, & inprimis arces Baronum concutiebat, paucis menſibus poſt Barones ac Nobiles præcipui cùm Illuſtri Baroni à Strein ſponſam domum deduxiſſent, vix peracto prandio, fracto tabulato,

5. (beside "Quintò An-")

6. (beside "Sextò,")

cum

cum menſis, poculis, vxoribus, & filiabus corruunt, quidam etiam ex caſu moriuntur. Inprimis attendamus ad terræmotum 1590. & in Hungaria, & in Auſtria, & in Morauia, & in Boëmia, & in Sileſia, & in Luſatia, & in aliqua parte Miſniæ, circa Dreſdam qui 15. Septembris, hora ante occaſum Solis cœpit, tunc enim tremuit terra ſenſibiliter, paucis interpoſitis horis circa mediam noctem, quæ ſubſecuta eſt paulò ante horam primam, cum omnia ratione tempeſtatis aëris eſſent prorſus tranquilla, adhuc vehementius concuſſa fuit, vt turres, templa, portæ, ædificia & arces alicubi vel corruerint, vel murorum hiatus magnos reliquerint. Viennæ turris templi ad D. Stephanum, ad D. Michaëlem, ad D. Laurentium, ad D. Ioannem ferè deſtruuntur. Aedificium magnificum hoſpitij publici ad Solem, totum corruit, & omnes, excepto vnico miniſtro, interficiuntur, multæ ædes vrbis, hiatus murorum adhuc hodie oſtendunt; arces Auſtriæ inferioris exte-

Terræmotus magnus in Hungaria, Auſtria, Morauia & Saxonia.

Viennenſis terræmotus.

212

exteræ collabuntur, aliæ aliter læduntur. Imò longè lateq́; & ad minimum 400. Italicorum miliarium ſpacio ampliſſimæ regiones tanta vehementia ſimul inuaduntur, vt arx Pixendorff munitiſſima viduæ Baronis Iohannis à Ruber, olim ſupremi Capitanei in Hungaria digniſſimi, corruat: Gudenouium noua arx Domini Helmardi Iörgeri vix triennio antè extructa deſtruatur, omnia loca horrendùm contremiſcant. Profectò vt multa naturalia in hoc terræ motu ſunt, ita non pauca miraculosè præter ordinem naturæ ſeſe habent. Neutiquam enim in his planè ſiccis & alicubi arenoſis terris materia ſpirituũ concluſorum atq; efficientium, ad tantum terræmotum ſufficit, multò minus in tot regionibus, in duobus regnis Hungaria atq; Boëmia naturaliter ſimul vna nocte omnia fieri potuiſſent. Prodigia verò ſunt, quæ irruptiones Turcicas in has terras portendunt.

Terræmotus inaudita amplitudo.

Arcis Pixendorff ruina ex terræmotu.

Gudenouij arcis ruina ex terræmotu.

Præſagium ex terræmotu Viennenſi & vicinorũ.

Poſtremò neq; ea, quæ in terra notatu digna pro prodigijs meritò habeantur,

Prodigia in terra duorum generũ notanda.

H præ-

præterire ſilentio debemus. Duo verò ſunt.

1. *1. Terriculamenta hominum.*

2. *2. Dens aureus pueri Sileſij.*

Illa ſunt prodigia vel prognoſtica futurarum maximarum calamitatum ante finem mundi: hic in medio tribulationum atq; anxietatis gentium pijs ſolatio eſt.

Terriculamenta hominum à DEO prædicta.

De terriculamentis hominum, quod ſint ſigna maximarum calamitatum ante finem mundi, quanta non fuerunt quàm diu gens à condito mundo ſtetit, perſpicuè docet Daniel Propheta cap. 12. Et ipſe filius DEI *Matth. 24. vbi dicit: Erunt ſigna in Sole & Luna & ſtellis, & anxietas gentium in terris per deſperationem. Rurſus Luc. 21. vbi teſtatur præter bella, famem, peſtem, terræmotus & φόβητρα, id eſt, terriculamenta, verba hæc ſunt: At cùm audieritis bella & ſeditiones, nolite terreri. Oportet enim prius hæc fieri, ſed non ſtatim erit finis. Tum dicebat illis: Inſurget gens contrà gentem, & regnum aduerſus*

ſus regnum, & terræmotus magni erunt in ſingulis locis, & fames ac peſtilentiæ, terriculamentaq́ & ſigna de cœlo magna erunt. Etſi verò anxietates aliæ atque aliæ ex auctis vel durioribus exactionibus vel melancholicis conſtitutionibus magis magisq́ accedunt, tamen triplicia terriculamenta potiſſimum numerabo; quæ ſanè prodigij rationem habent.

Terriculamenta noſtri ſeculi triplicia.

Primas tenent plagæ à diabolo in Marchia 200. ferè hominibus per magicos, vt video videre, immiſſæ, vt angantur & torqueantur hiſce terriculamentis, non tantum ipſi quaſi obſeſſi corporaliter & permittente Deo *miſerè afflicti, ſed & alij, qui miſerias anxietatesq́ eorum magno cum dolore vident atq́ audiunt. Imò cùm modò in hunc, modò in alium id genus mali ſubitò propagari animaduertant, ſibi metuunt, & anxiè quo fugiant, neſciunt. De his viri boni atq́ docti ſcribunt, terrorem hunc & miſerias afflictorum ne verbis quidem exprimi poſſe, ſiue immediatè,*

1. Terriculamenta hominum in Marchia ex diabolicis miraculis.

diate, ſiue mediantibus magicis fiant, terriculamenta ſunt, quæ Chriſtus prædixit, præceſſura eſſe finẽ mundi, ad quod etiam Apocalypſis cap. 12. & 20. alludit, cum in vltima plaga hominum vaticinatur diabolum ad mille annos in abyſſo inferni clauſum, recludi ad breue tempus, vt affligat homines.

2. Terricula-menta hominum ex panico terrore in infe-riore Auſtria.

In ſecundis conſiſtit panicus terror qui ante 20. annos falſo rumore de aduentu magni exercitus Turcici excitato, totam Auſtriam inferiorem atq; ſuperiorem ita inuaſit, vt ciues & ruſtici incerto authore ſibi perſuaderent Turcam maximis copijs iamiam aduentare atq; præ foribus eſſe, ideoq; omnes relictis ædibus, pagis atq; oppidulis vna cum ſuis vxoribus & liberis aufugerent cateruatim, hi equis, illi curribus, plerique pedibus, & quàm celerrimè vel ad vrbes, vel ad arces munitiores rectà feſtinarent, tanto impetu, vt multi infantes pedibus ſubacti, miſerrimè interficerentur. Vxor illuſtris Domini, Domini Iohannis VVilhelmi de Roſen-

ſtein

ſtein, Baroniſſa honeſtiſsima & pientiſſima, mihi coràm dixit, cùm maritus Lynzij in mercatu abſuiſſet, ſummo mane ad ſe veniſſe arcis capitaneum, atq; narraſſe quod magna agmina virorum, mulierum, & puerorum ad arcem Schallenburg in alta rupe ſitam accurrerent, ſeſe extra feneſtram proſpexiſſe, eosq; hinc inde diſcurſantes vidiſſe ac iuſsiſſe, vt miniſtrorum alter ſtatim illis equo obuiam iret, & cauſam turbæ, vel terriculamentorum ſciſcitaretur, qui reuerſus ſignificauit, Turcas magnis copijs eueſtigio illos ſequi: ſuſcepiſſe ſe omnes, vt non modo arx, ſed etiam foſſæ atq; areæ omnes, hominibus repletæ fuerint. Panicus hic terror Vienna Lynzium vſq; ad 30. milliaria peruaſit, cùm cuſtos ciuitatis & tubicen in ſpecula, excitato interdiu ab agmine boum Vngaricorum puluere, ſignum Turcæ aduentantis dediſſet, vbi omnia in vrbe ſubito metu perculſa & turbata, donec inanem eſſe terrorem euentus docuit. Quis verò non videt hæc terricula-

menta prodigij vim habere & aliquid præſagire?

3\. Terriculamenta hominum ex panico terrore Labaci in Carnia.

Poſtremo Anno 1592. à nato Chriſto iterum panicus terror Labacenſem ciuitatem Carnorum metropolim ita concuſsit, allato quanquam falſo de celeri ingentis Turcarum exercitus aduentu rumore, vt repente tota vrbe trepidatum, omniaq́ quàm celerrimè conuaſata fuerint. Quod quiſq; precioſum charumq́ habuit, id equis, curribusq́ auexit, cæteri ſibi de fuga proſpiciebant, matres paruulos complexæ liberos: eiulatus, planctus, vagitus paſſim auditi miſerabiles: tota vrbe tumultuatum: Deniq; ſpectaculum ab omni parte lacrymabile, adeo vt cum Turcam iam portis inſiſtere quiſq; ſibi perſuaderet, præcipitiq́ fugâ ſibi conſulere cuperet, in cæco iſto tumultuoſoq́ impetu tàm hominum, quàm equorum pedibus complures, inprimis pueri & puellæ occubuerint, nec paucæ mulierculæ exanimatæ ſint. Quæ ex re tanta trepidatio animiq́ conſternatio omnes

inua-

inuaſit, vt vix triduo, quanquam tandem indices, alij ſuper alios aduenientes, rem periculo carere, hoſtem viginti & eo amplius miliaribus vrbe abeſſe nuntiarent, domum redire plerią; auſi fuerint.

Hæc ſanè φόβητρα trium generum omiſſis alijs dixiſſe ſufficiat. Qui ſapit intelligit, me etiam non monente, hæc aliquid mali & quidem maximarum calamitatum, non tam hiſce, quam multis alijs regionibus prænunciare: nimis quidem anguntur & cruciantur, tam multa millia cæſorum & captorum in Hungaria, Croatia, Styria: ſed tanta prodigia maiores certè adhuc tribulationes & miſerias portendere videntur. Terricula menta præſagiunt bella & calamitates magnas.

Interea tamen omnipotens ille & miſericors DEVS *in his ipſis & futuris miſerijs, cladibus ac captiuitatibus, pios conſolatur, & ſignum gratiæ ac miſericordiæ ſuæ inauditum, iucundum aſpectu, & generi humano ſemper gratum palàm oſtendit, nimirum aureum dentem molarem pueri Sileſij Chriſtophori* Deus aureus prodigioſus præſagit aliquid boni.

Dentis aurei ſitus verſus ſiniſtram ſignificat etiam mala.

Mulleri in ſiniſtra tamen parte inferius. O rem admirandam & quàm diligentiſſimè excutiendam! Bonum in gènere ſignificat expectandum eſſe magnum, licet ſiniſtrè nos egerimus, & adhuc agamus, noſtriſq; peccatis & conatibus nimiùm ſiniſtris, calamitates immenſas nobis attrahamus, ac inferiores non rarò ſuccumbamus.

DEVS *enim æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti cum Spiritu ſuo ſancto non tantum terret, nec tantum affligit, ſicut Diabolus facit, ſed etiam in ſummis difficultatibus & maximis anxietatibus rurſus noſtri miſeretur, paternè nobiſcum agit, & nos infirmos ac ad deſperationem vſq; turbatos reficit, erigit, atq; ſpe melioris boni conſolatur, id, quod & ex hiſtoria Euangelica Matth. 24. vbi de anxietate hominum in terra, deſperatione ac ſumma tribulatione prius, mox de conſolatione, qua nos capita attollere & animum colligere iubet, agit, & ex concurſu ſignorum antedictorum in terra, partim triſtium,*

vt

215

vt terriculamentorum, partim amicabilium, vt aurei dentis, conſtat. Hic enim prodigij rationem habet duabus de cauſis, 1. Quia aliquid naturale rarum, quod ſemper prodioſum in ſe continet, exiſtit. 2. Quia magna ex parte miraculum diuinum. Quid verò portendat paulò poſt vberius dicetur. Sufficit hoc in loco ſcire eum præſagire bonum magnum, quod quidem ingentes calamitates præcedent.

Dens aureus prodigioſus duabus de cauſis. 1. 2.

PROBLEMA III.

Vtrum interpretatio huius prodigij, nimirum aurei dentis, dari queat, & quænam harum dignior cenſeatur?

Interpretatio prodigij huius vel alterius cuiuſdam eſt penes DEVM, *vt & Ioſephus patriarcha & Daniel Prophe ta monent, ille Geneſ. 41. dicit: Sine* DEO *non reſpondebitur ſalutare Pharaoni, nam incerta, ambigua & fallax eſt humana coniectura, quæ non à* DEO *exoratur vel proficiſcitur. Quicquid*

Interpretatio prodigiorum duplex. 1. Penes DEVM.

quid enim in interpretatione aurei dentis ſcire licet, aut ex rerum natura, aut ex reuelatione myſterij petendum eſt, quorum hoc precibus impetrat Daniel, & ex dono diuinitus conceſſo habet Ioſephus: illud ratio confirmata ſcientia naturalium ſubtiliter inueſtigat, ſed facilè labi poteſt, niſi diuinitus regatur. Daniel igitur vnus ex ſapientibus Regis Nabuchodonoſor in hanc ſententiam loquitur: Myſterium quod Rex interrogat non eſt ſapientium, magorum, incantatorum, aruſpicum, annunciare Regi; ſed eſt DEVS *in cœlo qui patefecit Myſteria, & nota fecit Nabuchodonoſor quæ oportet fieri in nouiſſimis diebus. Sed tamen exemplo vtriuſque monemur, homines doctos de interpretatione ſollicitos in timore Domini eſſe debere, & inprimis eos, ad quos vel officij, vel quæſtionis ſobriæ ratione ſpectat. Hi enim Numinis diuini ope interpretari myſteria poſſunt. Perpulchrum quoq; eſt quod Daniel vult nos de interpretatione myſteriorum laborare,*

e. Penes homines quibus DEVS concedit.

Cur docti de interpretatione prodigiorũ ſolliciti eſſe debent.

Obiectio calumniatorum.

re,

re, nõ quod in nobis ſuprà omnes qui viuunt, ſapientes ſimus, ſed ideò vt coniecturam Regi oſtendamus, quid Deus in poſterum fieri velit. Quare non alia de cauſa, quàm vt gloriam DEI *celebremus, nos pro virili interpretationes prodigij noui, Aurei nimirum dentis videbimus, & priùs aliorum, quotquot de hoc ominari aliquid videntur, ſententiam, poſterius noſtram conſiderabimus.*

Refutatio obiectionis.

Nouem interpretationes aurei dentis.

Primùm ſunt, qui planè naturalem eſſe aureum dentẽ hunc, & ex imaginatione forti matris prægnantis natũ opinantur, ideoq; nihil quicquã futuri portendere, cum huiuſmodi naturalia crebrius obuia nihil præſagiant, nec vllam prodigij rationem habeant. Sed horum opinio in primo problemate ſatis, puto, refutata eſt.

1. Eſſe tantum naturale aliquid ex imaginatione forti matris.

Deinde non multũ ab ab his differũt, q huic puero, ex ſucco metallico auri materia in aurifodinis montiũ vicinorũ latente, ac in ſuperficiem ad ipſa olera ac flumina redundante, atq; vel per cibum, edendo aſſumpta, vel per potum aquarũ fæcun-

2. Dentem aureum ex ſucco metallico inter edendum & bibendum imbibito nihil ſignificare poſſe.

fœcundarum auri attracta, enatum Refutatio. *aureum dentem aſſerunt. Nam hi quoque eum planè naturalem faciunt & addunt, alibi in folijs & nodis vitis idem factum. Verum de his antea quoq; dictum eſt, cur eorum ſententia conſtare nequeat, & conſequentia eorum falsò concludat nihil prædicere. Hi enim ad minimum fateri cogerentur, planè naturale (quod nunquam concedimus) hoc quàm rariſſimum eſſe, atq; omnia naturalia rara prodigioſa.*

3. Dentem aureum eſſe planè miraculoſum ad redarguendum nobilẽ φιλάργυρον.

Tertiò, fuere qui cum aureum dentem prodigioſum aſſeuerarent, putarunt magiſtratum eius, nobilem ante dictum nimis auarum & φιλάργυρον eſſe, vt DEVS *hoc prodigio ei oſtendat, aurum etiam ex oſſe vel oſſea radice dentis produci poſſe: ſed & hi valde errant, cum nobilis iſte pro ſua liberalitate, non modo pauperes ſubditos iuuet, ſed etiam in cognatos ſtipendia ad ſuſtentationem ſtudiorum conferat.*

4. Dentem aureum ſignificare famẽ

Quartò, inter eos, qui prodigij rationem aureum dentem habere concedunt,

dunt, non deſunt, qui putant aureum dentem huius pueri Sileſij, auri inopiam & famem, ex caritate annonæ ſignificare. Nam cum aurum vel præter ordinem naturæ creſcat, vel etiam in naturali curſu, quàm rariſsimum in dente exiſtat aurum, apud omnes ideò diminutum iri ſibi metuunt, vt nuſquã amplius inueniatur, ideoq́; fames vniuerſo Imperio Romano, ſub quo natus eſt puer, immineat. Addunt ſæpè ariſtas frumenti multò copioſiores & longiores defectũ eius præſagijſſe. Sed facilè refutari poteſt hæc ſententia, exemplis earundem ariſtarum pleniorum quæ frumento copioſè prouenientе creuerunt: præſertim cum vberiorem frumenti prouentum annis ſequentibus duobus experti ſimus. & inopia auri. Refutatio.

Quintò, plures inueniuntur, qui ſignum fertilitatis auri, aureum dentem in montibus VVeigelsdorfiani pagi, in quo puer natus & educatus eſt, ſtatuunt. Quibus ſententia eorum, qui naturali vi aurum redundare & ex montibus 5. Aureũ dentem præſagire fertilitatem auri in vicinis montibus.

tibus

tibus in ceſpitem atq; olera quibus hic puer veſceretur, & ex aquis quas biberet, affirmabant, ſuffragari videretur, ſi ita ſeſe res haberet. Nam ſuccus metallicus in ijs montibus & aquis tanto magis luxuriaretur, quanto plus in ceſpitem, vel etiam in creſcentia è terra redundaret, ſed vt antea naturalem vim tantam certis de cauſis negauimus: ita montes hoſce, eam ob cauſam, magis auro abundare, multò minùs cō-
Refutatio huius interpretationis. *cedimus. Nam non tantum in vno homine, ſed in multis, neq; in vno dente tantū eiusdem pueri, ſed in pluribus aurum luxurians tum deprehenderemus. Deinde cur non in pluribus folijs plantarum ibidem naſcentium idem conſpiceretur. Quin etiam parum aurum natiuū, vel in interioribus viſceribus montium frequentius inueniretur, vel ex arena fluminis vicini copioſius elueretur, quorum nullum euenire ſcimus.*

6. Aureū dentem confirmare chymicam auri factitij arcē. *Sextò, audio non paucos arbitrari hoc miraculo diuino & rariſſimo naturali, nimirum, aureo dente Deum velle te-*

le teſtari artem facticij auri ſcilicet Chymicam non modo poſſibilem eſſe, ſed iamiam vires acquiſituram, & in effectum quàm maximè venturam. Equidem non omnino improbamus artem Chymicam, & alicubi candidos ac doctos viros, piè modeſteq́; ei operam dare ſcimus, quos omni laude dignos eſſe cenſemus. In horum numero D. Sigiſmundus VVoyſelius, Medicus Phyſicus ordinarius Reipublicæ Vratiſlauienſis ſupremus, vir bonus, hodiè principatum obtinet. Sed impoſtores pleroſq́; chymicos ſeſe falſo venditantes, plenos mendaciorum, vafros deceptores, & vaniſſimos homines ſeriò deteſtamur. Etſi igitur veræ chymiæ incrementum quod ad gloriam Dei & vtilitatem Reipublicæ cedat, vnicè velim, tamen hanc interpretationem quoq́; reijcio: primùm quia prodigium aurei dentis multò maius eſt, quàm vt Deus & Natura ad excolendam chymicam factitij auri tantum vti velit. Deinde cum veri chymici & pauci ſint, & ipſi vt velint, non proficiant,

Chymica vera laude digna & rariſſima.

Pſeudochymici fugiendi.

Refutatio huius interpretationis.

nihil

nihil horum euentuum ex prodigio hoc nobis perſuadeamus.

Poſtremò Pſeudochymici, qui hanc interpretationem afferunt, non rarò propter impoſturas in contemptum veniunt, imò ſæpè præmium impoſturarum in furca auferunt.

7. Aureū dentem prædicere aureum ſeculum ſcilicet vitam æternam. *Septimo, vir excellentiſsimus, ſapiens & pius, quem nominare non attinet, in conſeſſu multorum præſtantiſſimorum virorum, cui & ego ipſe interfui, dixit. Aureum dentem præſagire aureum ſeculum: nullum verò aliud fore, niſi æternam vitam. O dignam interpretationem! Nam congruit cum præſagijs Chriſti, qui de extrema mun-*

Confirmatio huius interpretationis.

1. *di ſenecta, & comminationes magnas, & in ipſis miſerijs conſolationem piorum, præceſſura finem mundi prædixit. Nemo ſanæ mentis negabit ſigna in So-*

2. *le, Luna & ſtellis ante prædicta, præceſſiſſe finem mundi, cum tot magnæ coniunctiones, tot horrendæ Eclipſes, noua*

3.

4. *infeſtaq; ſtella propè Caſsiopeam, tanta*

5. *Chaſmata, tam admirandi Cometæ, &*

adeò

adeò inuſitati terræmotus apparuerint. 6.
Imò ſigna in terra quoq; accedere, nimirum anxietatẽ hominum, terriculamentaq́;, vel ex terrore & rabie diabolicorum miraculorum, vel ex immani Turcica tyrannide, vel ex iniquioribus exactionibus, vel ex varijs diſsidijs. Nihil hiſce ſolatio eſſe poteſt, quàm ſpes vitæ æternæ, quam vult portendere aureum dentem. Deus enim ſignis tantarum ante finem mundi calamitatum, quanta non fuerunt vnquam, quamdiu hæc mundi machina ſtetit, ſignum etiam gratiæ ac valde amabile, nimirum aureum dentem huius pueri immiſcet, vt aureum ſeculum appropinquare verè gaudeamus. Si in omnibus magnis 8.
mutationibus prodigia viſa ſunt, cur appropinquante mutatione huius vitæ in æternam DEVS *ſplendentem & aureum dentem non oſtentaret. Huic in-* 9.
terpretationi aſſentiuntur vaticinia Danielis cap. 12. & Apocal. cap. 20. Illud enim prædicit tempore tantarum tribulationum & vaſtationum per Tur-

I cam,

cam, venturum Michaëlem Archangelum, pro defenſione populi tui, & gratam quietem.
10. *tam quietem. Hoc præſagit & rabiem diabolicam recluſo inferno ad breue tempus, & tyrannidem Gog & Magog, vt congregentur ad prælium, atq; tunc deſcenſurum ignem à* Deo *è cœlo, qui deuoret eos, atq; diabolum cum omnibus ſuis coniectum iri in ſtagnum ignis & ſulphuris, cœlum verò nouum, nouamq; terram piorum fore.*

Tempus noui ſeculi æterni.

Etſi de die vel anno non ſimus certi, nec nos prædicere volumus, tamen in mentem nobis erudita, pia collatio Moyſis & Natiuitatis Chriſti ab Abrahamo Bucholcero facta veniat, vbi ſcribit: vt à nato Moyſe vſq; ad natum Chriſtum fuere anni 1596. ita multi ſcripſere euolutis à natiuitate Chriſti annis 1596. expectandam eſſe mutationem, vel aliam quandam rerum humanarum magnam, vel ſanè vltimum aduentum Chriſti, atq; nouam vitam æternam.

Nam & alia multa ſi ſeries natiuitatis Chriſti, cum natiuitate Moyſis ſpe-

ctetur,

ctetur, congruunt. 1. Vterq; naſcitur magna perſecutione piorum ingraueſcente, Pharao enim duplicabat labores & anxietates Iſraëlitarum. Herodes miſerè trucidabat Iudæos. Deinde vt Moyſe nato Pharao infantes duobus modis perſequutus fuit; vno per violentas obſtetricum manus, altero per ſubmerſionem in flumine: Ita Herodes etiam nato Chriſto infantes duplici ratione perſequutus; vna ſubdola aſſentatione; altera violenta profuſione. Tertiò, vt obſtetrices non obediunt Pharaoni, ita Magi non Herodi: & infantes vtrinq; ſeruantur. Quartò, vt Moyſes ſeruatur in arcula, ſicq; euitat mortem: Ita Chriſtus in Aegypto inſidias effugit tyranni, quò cum matre & Ioſeph ſe in fugam receperat. Quintò, inter Moyſis liberationem ex aquis & Chriſti exilium in Aegypto, interuenіunt 1596. anni.

Octauò, meam forte ſententiam de aureo dente diſſimulare non debeo, nec volo, ſed ea duplex in mentem venit. Prior

8. Aureũ dentem præſagire egenti certam ſpem & ſolatium.

Prior verò hac octaua ſit interpretatio, poſterior nona, qua doctrinam hanc de aureo dente concludemus. Prior præſupponit aureum dentem, partim naturalem, ſed quam rariſſimè, partim miraculoſum magni prodigij rationem habere, atq; ſignificare gratum & iucundum ſolatium valde egenti diffidenti. DEVS *enim miſeris & egentibus ſæpe ſolatio adeſt, & ſigno certo ſiduciam confirmat. Verbi gratia, ſi aurum & argentum ad neceſſarios vſus, aut quid aliud maius pio alicui, cuius rationem inprimis* DEVS *habet, deſit,* DEVS *prodigium ſcilicet aureum dentem ex oſſea radice producit, vt vel oculis cernamus,* DEVM *quotidiè aurum vel ex oſſe facere poſſe. Hæc interpretatio & ad puerum, & ad Magiſtratum Fridericum à Gelhorn ſeniorem, & ad ſupremum Magiſtratum, nimirum Cæſaream Maieſtatem hoc modo accommodari poſſe videtur.*

1. Puero Sileſio cum aureo dente. *Puer orbatus patre, & mater vidua ſumma primùm egeſtate laborauit, ſicuti*

.. mater mihi coràm dixit, ſe adeò abiectam fuiſſe, vt ne in ædibus quidem homines eam ferre voluerint: ſed in pagi agro propè ſepes relicta ſit, donec dominus fundi eorum miſertus pro ſua liberalitate eos receperit & ſuſtentarit. Non tamen puero eo anno, ſed aliquot elapſis dens aureus obortus eſt.

Nobiliſſimus vir Fridericus à Gelhorn, ſi auro vel alijs quibuſdam egere videatur, quod tamen non eſt, diuinitus ſignum hoc nimirum aureum dentem, ſibi datum animaduertat, vt in Dei fiducia tanto magis acquieſcat, nec ſibi dubitanti diffidat. Quippe opibus & auro ipſum à Deo benignè donatum eſſe, prudentia pietateq́; imò etiam liberalitate adeò præ multis alijs nobilibus excellere certum eſt, vt cum filios filiasq́; habeat, cognatis tamen ſuis pluribus ſtipendia ad ſuſtentationem ſtudiorum & honeſtæ vitæ conferat, ideoq́; de ſufficientia diuitiarum non laboret. Fieri tamen poteſt, vt de alijs quibuſdam tum, cum puero dens aureus ena-

Pueri magiſtratui ſcilicet Nobili Friderico à Gelhorn.

tus fuit, ſolicitudinem ille ceperit, ſu... fortunæ diffiſus fuerit, atq; ideò hæſitanti DEVS *ſignum aureum videlicet dentem in ſubdito exhibuerit, melioremq; fiduciam confirmarit.*

3. Sacræ Cæſareæ Maieſtati tanquã ſupremo magiſtratui.

Præterea (quod quidem præcipuum) Sacram Cæſaream Maieſtatem in apparatu præſentis belli contra Turcam, tam difficilis, vehementer de ſumptibus ad expeditionem neceſſarijs, & inprimis de auro tanto ad alendum exercitum numeroſiſsimum & ad comparanda inſtrumenta bellica ſolicitam fuiſſe nullum eſt dubium. Sed benigniſsimus DEVS *hoc ſigno amicabili, ſcilicet aureo dente, ſui ſubditi ſuccurrit, & quàm facilè ſibi ſit neceſſarios ſumtus indigentiæ ſubminiſtrare liquidò docet.*

Nec erubeſco haſce interpretationes aurei dentis, octauo loco inſerere cum vnum prodigium multa ſæpè portendat, & vnum ex his maximè de quo ea quæ ſequuntur.

9. Aureũ dentem præſagire aeceſ-

Poſtremò igitur nonam interpretationem & ſententiam meam poſteriorem,

rem, imò potiorem addo. Nemo neſcit quoties dentes homo ex opinato amittit, ſiue reuera fiat, ſiue in ſomnijs videatur, ſubinde mali quid portendere, modo decrementum corporis, vt in Cacochymicis, modò interitum vel ſuiipſius vel ſuorum parentum, aut coniunctiſſimorum, modò amiſſionem honoris & bonorum. Nam experientia multorum id teſtatum reliquit. Etenim dentes naturaliter vacillantes, aut citiùs iuſto cadentes non modo ſenium antè ſenectum, ſed vndiquaq; imbecilliorem corporis valetudinem ſignificant, impediunt enim bonam & iuſtam concoctionem, primum cuius initium in ore eſt ipſa maſticatio difficilior, imò ſæpè nulla. Addo quod vel ab acribus falſisq; humoribus, quibus hi referti ſunt, eroduntur, vel à malignis aliquando vſq; ad ſcorbutum & gallicum morbum tolluntur. 2.

ſionem magnæ potentiæ & regni parati Sacræ Cæſareæ Maieſtati & toti imperio.

Prodigioſa dentium amiſſio ſignificat diminutionē bonorum corporis & fortunæ.

Ratio. 1.

Sed præter ſanitatis iacturam etiam interitum regni, honoris ac omnium bonorum fortunæ dentis amiſſio portendit. 3.

Exemplum in principe Athenienſiũ Hippia.

Id quod ex hiſtoria Hippiæ tyranni Athenienſium videre licet, qui cum ſternutatione facta dentem de improuiſo excuſſiſſet, qui rurſus inueniri non potuit, poſtea regnum amiſit, in exilium pulſus eſt, & ſuo viſu priuatus, ſicq́; corporis & fortunæ bonorum iacturam ſimul fecit. Suidæ verba ſunt: Hippias tyrannus iræ ſuæ in Athenienſes & crudelitati inſecutæ cauſam prætexebat Hipparchi cædem. Proptereaq́; acerbus Dominus poſterioribus temporibus factus, nullum inde fructum cepit: Nam à Cecropidis pulſus eſt. Qui patria eiectus Perſas auxiliares adduxit, animaduerſa Darij cupiditate Atticæ potiundæ, propter ineptum illius ſtudium, ne Atticas ficus in libero ſolo, ſed in ſua prouincia natas ederet. Patriam igitur ſuam inuadens Hippias cum Perſis & barbaris præcellens, vehementer ſternutauit. Cum autem à vehementi ſternutationis concuſſione vnus dens excuſſus eſt: & in arenas dilapſus, reperiri non potuit, victis barbaris iterum fugi-

fugiens in Lemnum peruenit, atque in morbum incidit, viſu amiſſo, ſanguine per oculos effluente, acerboq́; mortis genere decedit. His pœnis patriæ datis, ad quam ſeruitute opprimendam barbaros adduxerat iratis patrijs Dijs. Hæc ille.

In ſomnijs verò ſi dentes alicui cadant, eum aut parentes, aut amicos optimos, aut boni quid amittere adeò manifeſtum eſt, vt pluribus declarare non ſit opus.

Cum verò contrariorum eadem ſit ratio, creſcere dentes, neceſſe eſt acceſſionem noui boni eiusq́; non vulgaris ſignificet. Quid verò boni magni præſagiat, natura rei ſcilicet dentis aurei, ſi diligenter examinetur, perſpicue docet. Dens ſignificat in ſacris literis vel potentiam magnam, vel regnũ, regemq́;, illam apud Danielem cap 7. Nam vbi 4. Monarchiam innuit habituram magnam potentiam, dicit quartam beſtiam habere dentes grandes & quidem ferreos, verba hæc ſunt: Ecce beſtia quarta terribilis & ſtupenda, & fortis Prodigioſum incrementũ dentium ſignificat acceſſionẽ bonorum corporis & fortunæ. Dens ſignificat duo. 1. Potentiã. 2. Regnum magnum & pacificum. Probatio ex interpretatione Danielis & Angeli.

vehementer, cuius dentes ferrei magni. Atq; paulo poſt iterum quærebam de 4. beſtia, quippe quæ multum differebat ab alijs beſtijs, beſtia terribilis admodum, dentes cuius ferrei & vngues ænei, edens & comminuens & reliquum pedibus ſuis conculcabat. Angelus verò, quem interrogat Daniel, interpretatur id de potentia magna hac ratione: Beſtia quarta, regnum quartum erit in terra, quod ſuperabit omnia regna; & deuorabit omnem terram, & conculcabit eam atq; contundet. Quid igitur vetat nos bonum hoc, quod ex prodigio aurei dentis quærimus, de potentiæ magnæ acceſſione interpretari? Sed quod maius eſt, alibi & ſignificat regem vel regnum. Daniel enim ibidem de ſecunda beſtia ſimili vrſo, & eius dentibus ita loquitur: Ecce beſtia alia ſimilis vrſo, in parte ſtetit, & tres ordines erant eius in ore, & in dentib. eius. Quod multi docti viri interpretantur de ſecunda Monarchia, & dentes tres de tribus potentiſsimis Regibus Medorum

atq;

atq; Perſarum, nimirum Dario & Cyro & Artaxerxe. Deus igitur ſine controuerſia, tùm potentiam, tùm etiam Regnum denotat.

Aurum ſicut precioſiſſimum omniũ metallorum habetur, ita homini quam gratiſſimum ſemper exiſtit. Bonum igitur precioſum ac optimum aurum ſignificat, id quod in ſomnijs & Daniel de re optima, nimirum puer & alij, de alijs bonis intellexerunt. Sic enim facta eſt interpretatio de aureo capite in magna imagine viſo à Rege Nabuchodonoſor in ſomnio: Dicit enim ſapientiſſimus Daniel, aurum caput ſignificare magnum, & quidem maximum regnum primæ Monarchiæ, Imò etiam potentiſſimum regem qui tunc erat Nabuchodonoſor ille: & addit de ſecunda Monarchia, poſt te inſurget regnum aliud minus & inferius te vel tuo. Vnde facilè conijcere licet, quod Regem vel regnum magnum non longè lateq; regnando vt ratio ſomniat, ſed pace & virtute eminentiſſimum ſignificarit.

Aurum ſignificat bonum precioſum.

Ratio.

AureumRegnum non intelligendum eſt de amplitudine.

Nam

Nam ſecunda Monarchia Medorum & Perſarum, quæ regnum inferius & minus aureo iſto dicitur, multò latius prima Monarchia regnabat, quod ad Aſſyriorum & Chaldæorum regna Perſarum atq; Medorum acceßio facta eſſet. Amplius etiam regnum tertia Monarchia Græcorum fuit, quæ teſte ſacra ſcriptura toti terræ dominabatur.

Aureum regnum intelligendum eſt de magno regno eminenti virtute & pace.

Aureum verò regnum prima Monarchia erat integritate & præſtantia virtutis, clementia & inprimis pace. Etſi enim Nabuchodonoſor teſte Ieremia cap. 25. gentes multas ſibi ſubiugauit, & bella contra varios populos geſſit: tamen annos 20. poſtea in pace vixit, vt & filius Euilmerodoch annos 30. ita vt altißima pace 50. annorum prima Monarchia frueretur, & regis Salomonis pacem ſuperaret, donec nepos Balthaſar ſuccederet, atq; iterum euaneſceret pax, imò periret Monarchia prima. Aureum igitur dentem meritò interpretamur regnum potentißimum & maximum, eminentia integritatis, virtutis

tutis & inprimis pacis, in hac etiam vita ſecutura.

Quod verò dens aureus prodigioſè ſeptimo anno critico puero excreuerit, & iam vltra biennium duret, duraturus proculdubio multo diutius, ſignificat acceſſionem regni optimi & pacati, eiusdemq́, durationem quandam ante finem mundi. Nam antea dictum eſt, dentes amittere prædicere diminutionem regni, honoris & aliorum bonorum. Econtra creſcere dentes, acceſſionem eorundem, eoq́, magis quod bono critico anno ſcilicet ſeptimo ætatis puero, qui ſemper ſanctus & felix habetur, id factum eſt.

Aureũ dentem creſcere indicat acceſſionem regni præclari & pacati.

Cui autem acceſſio huius magni regni ſperanda ſit, quis quærat? Cur non pueri huius Magiſtratui ſupremo, nimirum Sacræ Cæſareæ Maieſtati & Romano Imperio. Nam & Sacræ literæ & quotidiana experientia teſtantur, prodigia præſaga rerum adeò magnarum diuinitus ideò nobis dari, vt ſciamus, quid Regi & Imperatori euenire debe-

Aureũ dentem creſcere ſubdito Sacræ Cæſ. Maieſt. & Romani Imperij ſignificare magiſtratui tanta bona.

debeat. Daniel enim capite ſecundo in interpretatione prodigÿ noua imaginis dicit, DEVS *magnus oſtendit Regi quæ ventura ſunt poſtea. Eodem modo noſtro ſeculo ancilla in Marchia cum antea ſanæ mentis aliÿs honeſtè modeſteq́ ſeruiÿſſet, Francofurti ad Oderam ſubito furore correpta, quæcunq́ tetigit in Numiſma argenteum commutauit, omniaq́ ea, quæ inuitæ ei non auferebantur, deuorauit, ſicuti huiuſmodi Numiſma ablatum apud multos remanſit, ſed aliquantò poſt ea quæ tetigit in ferreas acus mutauit: cuius rei interpretatio in Magiſtratum eius loci directa prorſus non aberrabat.*

Hiſtoria de ancilla Marchiaca mutante omnia in argentum in manibus ſuis.

Sed adhuc multa concurrunt ſimul conſideranda, 1. Quod dens ille aureus vltimus ſit: Deinde quod inferior molaris & quidem verſus ſiniſtram partem. Singula igitur pro virili perpendamus:

Circumſtantiæ dentis proprias interpretationes requirunt.

Vltimus dens isq́; aureus prædicit, illud pacificum & glorioſum regnum fore vltimum ante finem mundi, ſub quo

Aureus dens vltimus præſagit regnũ pacificum & glorioſum vltimum.

quo homines in pace tranquillè viuant, vnde ſecuritas quæ contemptum veræ religionis & pietatis pariet ſequetur. Vt cum Filius DEI *aduenerit, vel parum confeſſionis & fidei inuenietur, vel corda hominum crapula ac luxurie aggrauabuntur. De priori Chriſtus ipſe dicit, vbi interrogat an putas filium hominis cum venerit inuenturum fidem. De poſteriori Matth. 24. Sicut erant dies Noha: ita erit & aduentus Filij hominis. Sicut enim diebus, qui præceſſebant diluuium, edebant & bibebant, vxores ducebant & nuptum dabant vſq; ad eum diem quo ingreſſus erat in arcam, nec cognouerunt diluuium vſq; veniſſet: Ita erit & aduentus Filij hominis.*

Molaris autem inferior vltimus, in quo omnes cibi poſtremo conteruntur & læuigantur, indicat calamitates tantas, quantæ ab initio mundi non fuerunt, quibus non corporales pœnas peccatorum noſtrorum poſtremo atque ſatis grauiter ſciamus, priuſquam aureum

Dens aureus molaris inferior ſignificat magnas calamitates & grauiſſimas pœnas præceſſuras effectum aurei dentis.

reum

reum regnum illud vel effectus aurei dentis adueniat. De his enim quoq; Daniel prædixit cap. 12. Et veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt vſq; ad tempus illud. Deinde Chriſtus Matth. 24. Erit enim tunc oppreſſio magna, qualis non fuit à principio mundi ad hoc vſq; tempus.

Calamitates præceſſuræ effectũ aurei dentis duplices. 1. Rabies diabolica.

Sed fortè quis mallet ſcire, quæ & quales iſtæ tribulationes maximæ futuræ ſint, aut vnde expectandæ. Apocalypſ. 20. cap. interpretatur duas plagas vltimas ante finem mundi. Vnam rabiem diabolicam: Alteram tyrannidem Turcicam: verba ita ſe habent: Et cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra Sanctorum & ciuitatem dilectam. Et deſcendit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos, & diabolus qui ſedu-

ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi eſt beſtia & pſeudopropheta, cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum. Quis verò non videt miſerrimas afflictiones hominum à Satana in Marchia, & tot tantaq́ terriculamenta antedicta hominum in varijs locis permittente DEO *à Diabolo prouenire. Deinde Turcica impreſſio in has terras, Anno 1592. cœpta vlterius graſſatur, de qua Daniel, vbi de quarta beſtia, & de quarto Regno vel Monarchia loquitur. Nam poſt te cornua eius, id eſt, Reges adhuc vnius cornu, id eſt, alterius Imperatoris mentionem facit, qui non tantum tres ex ſuperioribus debellarit, ſed etiam prælium facturus ſit cum Sanctis & præualiturus, hunc omnes docti interpretantur Turcam coniunctum cum Tartaris & alijs gentibus.* 2. Turcica Tyrannis.

Quid verò illud quod dens aureus molaris inferior verſus ſiniſtram partem, non verſus dextram ſuperior enatus eſt? Nihil aliud quàm quod ali- Dens aureus verſus ſiniſtram parté ſignificat ſiniſtrum ſucceſſium noſtratium cõ-

tra Turcam aliquamdiu.

quamdiu noſtra conſilia ſiniſtrè capiantur, noſtræ defenſiones ſiniſtrè inſtituantur, & noſtri conatus parum vel nihil ſuccedant, cuius occaſione hoſtis ſuperior erit, nos vincemur aliquoties, pœnas peccatorum graues luemus, miſerè turbabimur, & miſerrimè tribulabimur, imò non niſi contriti corde & ſeriò agentes pœnitentiam diuinitus exaudiemur, atq; tunc DEVS *mitigabit pœnas, arma Turcarum atque Tartarorum reprimet, & demum effectum aurei dentis, nimirum auream pacem, regnum totius Imperij Romani pacatum vſq; ad finem mundi dabit.*

Tempus & magnarum calamitatũ & aureæ pacis ſecuturæ difficile dictu.

Teſtimonia. 1. Danielis.

De tempore verò vel calamitatum, quæ præcedent regnum aureum vel inchoandæ aureæ pacis, certi quid ſtatuere eſt difficile & fortè impoſſibile. Daniel ipſe initio dubitare videtur, propterea quod obſcurius dicit, tradentur in manum eius ad tempus, tempore & dimidium temporis. Atq; capite eodem 12. iterum Angelus ad Danielem dicit: Vade Daniel, quia clauſi ſignatiq; ſermones

mones vſq; ad præfinitum tempus. Eligentur & dealbabuntur ; & quaſi ignis probabuntur multi, & impiè agant impij neque intelligent omnes impij. Nec Ezechiel Propheta aliud quid quàm obſcurius de Gog & Magog concionatur, cap. 38. Cum venerint in terram Iſrael comitabitur furor DEI*, in igne iræ loquetur, erit motus magnus in terra Iſrael & ſcindentur montes & omnis turris in terram corruet : tunc vocabit contra eum omnem timorem gladij, & ignem & ſulphure pluet ſuper eum, & omnes, qui cum eo ſunt, Gog & Magog cadet & omnes qui circa eos ſunt, & gentes quæ dabuntur multitudini auium, ſed tamen Daniel in fine addit dicto capit. 12. Porro docti intelligent : atque ſtatim certum atque definitum numerum temporis duplicem ſubiungit : quorum vnum cum Melanchthone de tempore magnarum calamitatum: alterum de initio aurei regni intelligimus.* 2. Ezechiel.

Daniel enim etſi prius indefinitum Modus frangendi po-

tentiā Turcorum atq; Tartarorū.

tempus aſſignarat, tamen poſtea monet Turcicam potentiam, cum ad ſummum faſtigium peruenerit, & iam ſpe totius orbis terram potiūdi inebriata fuerit, ſubitam inclinationem paſſuram, eiusq́ vires attritas iri, ſi non prorſus excindantur, & quidem modo quodam inopinato, cum DEVS *illum excitarit, quem nemo putauit, & conſummatis omnibus, quæ ſcripta ſunt tum in Ezechiele, tum in Daniele, tum in Matthæo, effectus aurei dentis aliquamdiu ſequetur. Scriptum enim eſt à Daniele: In tempore illo conſurget Michaël princeps magnus, qui ſtet pro filijs populi tui. Exiſtimo igitur aliquem Principem de improuiſo excitatum iri, qui potentia Michaëlis Archangeli (non enim ipſe veniet) confirmatus victoriarum frequentia inclareſcet, ſicq́ Cæſari & toti imperio potentiam ſuam adiunget, & feliciter aderit.*

Tempora duo definita calamitatū ante initium aureæ pacis.

Sed vlterius libet conſiderare duo tempora calamitatum tantarum: vnum Epitaſin Turcicæ potentiæ, alterum Cataſtro-

taſtrophen eiuſdem ad internecionem, quemadmodum nobis ob oculos à Daniele poſita ſunt. Prius tempus numerat dies mille ducentos nonaginta, verba eius ſunt : Porrò docti intelligent, & à tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium abominatio in deſolationē, dies 1290. Sunt verò anni tres cum dimidio, qui ſi ad cœptam tyrannidem Turcicam, Anno 1592. in qua templa totius Croatiæ ſunt deſtructa & Vngariæ, in vallos & munimenta bellica, dum terra replerentur, conuerſa accommodentur, durabunt ad annum vſque 1596. qui eſt 40. à Cometa Anno 1556. viſo & cum collatione Moyſis atque Chriſti vt antè dictum eſt conuenit. Addo quod congruat cum perſecutione Iſraëlitarum tempore Antiochi & maximarum calamitatum populi DEI, *quæ præcedebant vltimam quietem, in fine politiæ Moſaicæ, antequam naſceretur Chriſtus. Veriſimile igitur eſt Turcas atq; Tartaros vires aſſumpturos, & hiſce annis non modò in Vngariam, ſed*

Prius tempus maximarum calamitatum quæ præcedent.

& in Germaniam, Italiam &c. vehementer graſſaturos ac calamitates incredibiles aduenturas, vt neque Sacris in Eccleſia locus ſit, neque auxilij copia fiat. Turca enim ad magnam potentiam veniet, & propter peccata noſtra longè lateq; dominabitur. Sed cum nimium ſibi confidat, & pij ardentibus precibus DEVM *exorent, regnum Turcicum inclinabitur, & quanquam non ſtatim tolletur, calamitates tamen mitigabuntur. Noſtrates victoriam tandem ipſis eripient, vnde ad cataſtrophen bellum peruenict. Horum tempus poſterius Daniel præſcribit, & adhuc periculoſum fore monet. Numerat autem 1335. dies, verba eius hæc ſunt: Beatus qui expectat & peruenit vſq; ad dies mille trecentos triginta quinq;, ſunt anni tres & octo menſes.*

Poſterius tempus calamitatum non adeò magnarum.

Similitudo belli Iudaici tempore Antiochi cū bello noſtro contra Turcam.

Hic rurſus conſideremus magnam ſimilitudinem belli Antiochi & Nicanoris contra Iudæam. Quarto enim anno Machabæus diuinitus excitatus po-

ten-

tentiam Tyrannidis fregit, calamitates ſenſim mitigauit, & rem ad Cataſtrophen deduxit, donec Nicanor qui multo truculentiora minitabatur à Iuda Machabæo prorſus ad excidium cæſus è tota Iudæa expulſus fuit, ac Eccleſia pace aurea ſexto denique anno frui cœpit.

Nam & hoc Daniel prædixerat cum numerauit 8. capite, dies huius belli 2300. quo tempore exacto bellum durauit, verba eius ſunt: Vſquequo viſio & iuge ſacrificium & peccatum deſolationis, quæ facta eſt, & ſanctuarium, & fortitudo conculcabitur? & dixit ei, vſq; ad veſperam dies 2300. & mundabitur ſanctuarium.

Eodem modo nos ſciamus vel præmoneamur hodie bellum Turcarum contra nos in fine anni 92. cœptum, ſubinde auctum multas arces & ciuitates ab ijs captas iri, inermem multitudinem Hungariæ, Boëmiæ, Germaniæ atque Italiæ miſerias ſummas experturam, plures captiuitates ingreſſuros,

nec exercitus ſufficientes qui Turcam reprimant futuros, ſed anno quarto, qui erit 1596. cum Turca ad faſtigium & noſtræ calamitates ad lamentabilem epitaſin venient, de improuiſo princeps excitabitur diuina & Michaëlis potentia munitus, qui mitiget pœnas, & aliquantulum Turcam reprimat. Verum ne tum quidem hiſce victorijs Eccleſia ſtatim in tuto erit. Nam dubio Marte inuicem adhuc 1335. dies, id eſt, annos tres, & octo menſes periclitabimur. Sed in horum fine ſcilicet anno 1600. Gog & Magog, id eſt, Turcæ & Tartari coniuncti maximis copijs congregabuntur, & in prælio magno de quo Ezechiel viribus ad excidium vſq; attritis ſuccumbent, ac prorſus eradicabuntur.

Etſi enim alij aliter intelligunt verba Danielis: tamen certum eſt, quod ibidem quærat de nouiſſimo tempore ac fine mundi Daniel: Angelus de eo reſpondet, & addit prudentes intelligent. Deinde nemo neſcit Danielem de 4. Monarchijs ordine dicere, vt neceſſe ſit

in

in vltimo capite, de fine quartæ Monarchiæ ipſum docere, idem Melanchthon nobiſcum ſentit.

Poſtremò de tempore aureæ pacis, & regni glorioſi adhuc in mundo, quando initium eius futurum ſit, ex fine numeri poſterioris facilè conſtat, nimirum anno 1600. ſed quamdiu duratura pax illa & regnum, affirmare non licet, nec aliquid reuelatum eſſe legimus. Angelus tamen etiam aliquid innuit cum dicit: Tu Daniel vade ad præfinitum & requieſces, & ſtabis in ſorte tua, in finem dierum: quaſi dicat, Effectus aurei dentis ſcilicet regnum magnum & planè pacatum vſque ad finem mundi conſiſtet. Tempus aureæ pacis.

Sunt etiam qui de morte Danielis hæc intelligunt, ſed quia Angelus concludit, ſtabis in ſorte tua, in finem dierum, aliud velle, & quietem & ſortem bonam omnium in perſona Danielis, pòſt tantas calamitates prædicere videtur. Quid etiam aliud, quod dicit: Beatus qui peruenerit ad dies 1335.

quàm quod docet, finem tunc omnium calamitatum fore & initium aureæ pacis, vel effectus aurei dentis in hac vita ante finem mundi ſecuturos. Imò Chriſtus cum de tantis tribulationibus loquatur, dicit, nondum erit finis, quaſi moneat, poſt tribulationes auream quietem ac pacem, ante finem mundi fore. Hoc inſuper prodigium Chaſmatis antedicti & haſtarum in Chaſmate ſecum pugnantium, quæ poſterioribus annis albicantes viſæ ſunt, portendunt, animum addunt, victorias atq; regnum aureum ſperare faciunt.

Effectus aurei dentis qui ſtatim poſt enatum prodijt.

Deniq; etſi effectus aurei dentis ſtatim adeſſe nec potuit, nec debuit, tamen aliquantulum promicuit & ſpecimen ſui præclara victoria eodem anno ſcilicet 1593. ſecuta, initio Iulij edidit. Hazam enim Baſſa Boſnenſi multo maioribus copijs reuertente ad Siſeckij obſidionem, Rudolphi Imperatoris copiæ licet multo minores duce Barone à Redern Sileſio & eius ſignifero viro forti à VVelda, hoſtem feliciter ſunt adorti: Tur-

233

Turcas in fugam coniecerunt, multis cæſis, pluribus in flumen præcipitatis, & cateruatim ſubmerſis: in quorum numero ipſe Hazam e cum fratre, & Sinan Begus. Turcici Imperatoris ex ſorore, multiq́; primarij milites. Paulò poſt Zabaka, Filekum, & Nouigradum aliaq́; munitiſſima caſtella Turcis erepta fuere. Sed hæ victoriæ non diu durarunt. Siniſtrè enim agendo multa rurſum amiſſa, miſerrimæ vaſtitates atq; captiuitates ſecutæ ſunt, adeoq́; noſtra peccata & siniſtrè acta Turcam & Tartaros ſuperiores reddidere. Nihilominus DEVS *ſtatim poſt prodeuntem dentem aureum aliquid læti nobis oſtendit, vt vel emicare ipſum paulatim intelligeremus. Non quod ſtatim vires ſuas omnes aureum ſeculum & ſperanda pax aſſumere debeat, ſed ſerius differri, donec omnia quæ & ſcripta ſunt, & ſigna in Sole, Luna atq; terra prædixere, compleantur.*

Itaq; animo recolamus & peccata noſtra, quibus iram DEI *omnia conſumen-* Collatio cauſarum & effectuum aureæ pacis.

ſumentem & calamitates, quæ pœnæ eorundem ſunt ineuitabiles, accerſiuimus. Nonne ſat triſtia, ſat ardua, & ſat horren e eaq; ampliſsimæ regiones expe. , ſed neq; hæc ſufficiunt, plura, tot coniunctiones magnæ Solis & Lunæ, cum Marte alijs planetis, tot horrendæ Eclipſes, tot Chaſmata, noua ſtella, tot Cometæ præter ſolitum durantes, terræmotus, inundationes aquarum, peregrinum populum aduenturum certò prognoſticantes, anxietates & terriculamenta, quæ nemo ſatis effari poteſt, tempus tribulationum maximarum adeſſe teſtantur. Congruunt multorum doctorum virorum præmonitiones antea factæ. Ipſi Turcæ ſciunt Monarchiam ſuam vltra mille annos non duraturam, quæ anno 1593. finitur, ſi prius bella Chriſtianis ipſos moturos, feliciter etiam contra ſanctos pugnaturos, vaſtationem magnæ partis in orbe terrarum futuram. Lactantius Firmianus, Turcam dominaturum inprimis 1600. in Germania, & Italia,

lia, ac iram DEI *contra nos exarſuram, omnia elementa nobis infeſta fore prædixit.*

Hæc cum fieri oporteat, ad benignitatem omnipotentis DEI *optimi maximi confugiamus, qui miſertus noſtri, vel multò poſt ſpem melioris regni aurei nobis facit, vel ſuos etiam in medio afflictionum mirabiliter protegere & liberare poteſt. Noſtrum eſt iram Dei ardentibus votis & ſeria pœnitentia flectere, annos tribulationis abbreuiare, & aureum regnum atq; aurei dentis effectum citiùs adeò exorare.* Epilogus.

FINIS.

REGNI TVRCICI CATASTROPHE,

ANTONII TORQVATI Ferrarienſis Philoſophi, Medici, Aſtrologi, clariſsimi.

AD immaniſſimos Turcas ratiocinationem meam conuertam, quos longum, latum & magnum Imperium, diuitiarum magnitudo, frequentia victoriarum & gloria tantum extollet, eorumque animos & ſpem ſic eleuabit: vt ſibi putaturi ſint, nec cœlum reſiſtere poſſe. Atque idcirco ad totius orbis Imperium aſpirabunt, Aſſyrios & Ægyptios maximis prælijs fractos ſuperabunt. Armenios, Parthos & Perſas continuis prælijs moleſtabunt. Pluries aduerſus eos victores & ſuperiores euadent & quandoq; ſuccumbent. Magna ſtrage ſuorum in Chriſtianos arma mouebunt. Venetis primum multa inferent damna. Poſt eorum amici facti Belgradum

dum in ditionem accipient, Rhodum ſuperabunt, Pannoniam & Vngariam multis cladibus afficient. Tandem vim comminantes Regnum Vngarorum lacerantes, ſimulque Imperium Romanum, Germanumq; diutiſſimis bellis tentantes, in eorum manus cadent. Annus erit Chriſti 1594. vel 1595. ſed prius Apuliam intrabunt, Siciliam, Galliæ, Hiſpaniæq́; littora claſſe ſua, nec non Italiam moleſtabunt & affligent. Timorem magnum Chriſtianis immittent. Sed Chriſtus tandem ſuorum ſtragem non ferens, furorem Germanicum, vigorem Vngarorum, militiam Hiſpanorum, ac Italorum ingenia contra eos adducet. Et tandem eorum Imperator ſuperatus interficietur. In quo prælio negotioque Regis Vngariæ laus erit prima. Nam vt aſtra prædicunt, dicti Regis auſpicio, ingenio, & induſtria ductuq; perficientur omnia, quæ de morte immaniſſimi Imperatoris

toris Otthomannorum, & de victoria contra eum habenda, prænunciantur. Otthomanna namq; domus in tredecimo vel quarto decimo capitibus corruet, neć illud excedet numerum, nec annos ſalutis 1596. tranſibit. Tunc enim horrendo concidet caſu. Et ex Imperatoris Turcorum morte tanta orietur inter duces eorum, & inter Otthomanneos contentio & diſcordia: vt ab ſe inuicem, & ab externis interficiendi ſint. Tota Græcia minis, & externis bellis permiſcebitur, adfligeturq́; peſte, ac fame laborans ſæuiſſima vltra modum vexabitur. Nec paululum reſpirandi tempus reſtabit aut locus, donec penè tota pereat. Tunc Chriſtiani omnes alacres vno animo tranſibunt mare, & tanta velocitate tot tantiſq́ue copijs: vt quaſi totam terram Chriſtianorum in Orientem non ire, ſed potius volare credendum ſit. Sed priùs Veneti nõ leuibus malis afflicti ſuc-

cum-

cumbent quàm hæc fiant. Tunc demum vibebitur, Turcos ad fidem Chriſti conuolare. Tunc Chriſtiani qui Chriſtum abnegarant ad iugum Chriſti ſuaue reuertentur, & gemina Imperia ſub vnum Imperatorē conuolabunt, & ſummum Domini noſtri IESV CHRISTI vexillum ad orientales plagas cum gloria portabitur, & Mahometana ſecta ceſſabit, paſſimq́ue Mahometani atq; Iudæi ad CHRISTI baptiſma conuolabunt, cui ſit honor & gloria in ſempiterna ſecula.

CONRADVS PÆDOPATER Goslarienſis, IACOBO HORSTIO S. P. D.

CVm epiſtolarum genera inuenta ſint, clariſsime, excellentiſsime Domine Doctor, amice ac fautor plurimùm colende, vt certiores faceremus abſentes, ſi quid eſt, quod eos ſcire aut noſtra, aut ipſorum intereſſet, equidem intermittere non debui, quin ex inſtinctu

noſtrorum nobilium de prodigijs ac ſpectris in Marchia Brandeburgenſi, & inprimis Spandauiæ luxum in veſtitu taxantibus ad T.Exc. perſcriberem. Etſi autem tam varij generis & argumenti ſunt, quæ ex Marchia dira & auditu horrenda huc percrepant, vt hæſitante iudicio parum certi inde colligi poſsit, & T. E. grauioribus negotijs intenta eſt, quàm vt hiſce nouitatibus meditandis vacet: Tamen triſtiſsimum hunc rumorem non omnibus modis fictum aut fruſtraneum eſſe, & T. E. debitam operam illi rectè ſcrutando impendere, mihi omninò perſuaſum habeo. Rogo itaq; amanter debita animi obſeruantia, vt quod T. E. hac de re conſtet, haud grauatim nobiſcum communicet. Videor mihi huius rei grauitatem ad Theologos & Medicos ſpectare.

Ad Theologos, vt Eccleſia de hoc fatali exitio per veram pœnitentiam auertendo ſeriò commonefiat. Non enim eiuſmodi portenta ac terriculamenta à ſcriptura aliena ſunt, ſed Luc. 21. expreſſè terriculamenta inter ſigna terræ exitium mundi attractura recenſentur. Quæ non de terræ motibus, fame, peſte, & id genus calamitatibus accipio, ſed de ſingulari quadam hominum plaga, quia terriculamentorũ in ſpecie & diſtinctè fit mentio, & quid maiorem hominibus terrorem incutiat, quàm quod Spandauiæ proh, vltrà 150. homines à diabolo corporaliter obſeſsi dicantur? Deinde & Apocal. 12. extat: Væ habitantibus in terra, Diabolus

lus enim deſcendit ad vos habens iram magnam. Hoc dictum eximij Theologi de feruentiori Satanæ tyrannide & peculiari hominum vexatione intelligunt, ſiue viſibiliter, ſiue inuiſibiliter contingat, cum quo etiam hæc calamitas Marchiæ Brandeburgenſis non inconuenienter conferri poſſet. Monet etiam hoc accuratius nouitatibus hiſce intentum, cur illa ſpectra, luxum in veſtitu tantum damnent, & non etiam in cibo ac potu, qui hodie omnium vberrimus arguitur? Cur non etiam adulteria & ſcortationes, & id genus peccata taxentur, quæ æquè in hoc ſcelerato mundo impunè ſine metu conſcientiæ ac iudicij diuini graſſantur? ſed abſit παῤῥησία. Qua ratione etiam ad Medicos huius rei dijudicatio pertingat, pendet ex eo, quod vulgò fertur hanc tyrannidem non ſimpliciter immediatè diaboli aſtu in obſeſsis exerceri, ſed per artem magicam quorundam maleficorum hæc ita fieri: quod E. T. iudicatu facilè eſt. Sed hic ne ſutor vltra crepidam.

Maiorem ſaltem in modum reuerenter à T. E. etiam atq; etiam precibus contendo, vt quid certi de hiſce rumoribus conſtet, nos certiores reddere non dedignetur. Sunt qui atteſtantur Gardelegiæ. Stendaliæ, & alibi vicinorum locorum conſuetum in veſtitu luxum, de mandato magiſtratus, ob hunc terrorem, mutatum eſſe, ſed multi multa loquuntur. Nullus tamen dubito, quin, ex ſtudioſis ex Marchia confluentibus, quid certi

hac de re Helmſtadium perferetur. Et cum E. T. ſit ſtudioſa in tanta rei veritate & eius cauſa inquirenda, multum de tua beneuolentia ac humanitate nobis pollicemur. Et rogo ſubmiſsè, iure amoris, quo me olim T. E. proſecuta eſt, ne mihi hæc in ſcribendo audacia vitio vertatur. Pro virili meam opellam quouis tempore grati animi teſtificandi cauſſa, clariſsimo Domino Doctori viciſſim declarare ſtudioſè & obnixè conabor. Hiſce precor T. E. feliciſsimum noui anni in CHRISTO auſpicium. Bene vale. Egenſtedij 19. Ianuar. Anno à partu virginis, 95.

IACOBVS HORSTIVS D. CVNRADO PÆDOPATRI Goſlarienſi S. D.

QVÆ admiranda in Marchia, amice optime, geruntur, partim ex publicè editis ſcriptis, partim ex rumore cognoui. Nemini autem maiorem fidem adhibeo, quàm D. Iacobo Colero, olim meo condiſcipulo, & viro graui ac bono, cuius epiſtolam de ijſdem ſcriptam, ad Brunſuicenſes tibi, tuiſq; nobilibus mitto. Seriam horum quæ voluiſti cogitationem ſuſcepi, & vt tibi tuisq; nobilibus adeo efflagitantibus morem gererem, reſcribendum duxi.

Non

Non poſſunt non obſeſsi haberi, qui nunquam viſos nouerunt, nomine appellant, admiranda loquuntur, pœnitentiam prædicant, immodicam luxuriem veſtium taxant, inenarrabili furiunt rabie, modo clamitant, ſibi ab altiſsimo, vt nolentes volentes ad pœnitentiam hortentur, modò miniſtros verbi iniurijs conuicijs afficiunt. Sed volitare in aêre, & in templo, clamore ac ſtrepitu concionem interturbare, varias formas diabolorum induere, quibus ſe ſpectandum hic & alibi exhibet, aurum, argentum, margaritas, lintea, ligulas & alia in viam proijci, eos qui tollunt ſtatim obſeſſos reddi, ipſa quoq; diabolica ſunt miracula, quia ſupra ordinem naturæ ſeſe habent & in multis cum DEI voluntate patefacta in verbo ſuo pugnant, & vanitatibus gaudent.

Vis dicam ingenuè, quid ſentiam, diiudicanda omnia opera ſunt, cui ſecundum curſum naturæ ſeſe habeant, nec ne. Hæc fiunt ſupra & præter eum. Deinde diſcernenda ſunt: vtrum miracula ſint diuina, an diabolica, profecto ſunt huius generis. Etſi enim prædicatione pænitentiæ alijſq; ſimulant quid diuini & ſanctimoniæ, tamen diabolus horum omnium autor eſt, mendax & homicida. Prætextu illorum abducit homines à miniſterio verbi DEI diuinitus inſtituto, docet aliud, quàm Filius Dei, mortuos & diabolos eſſe audiendos, & plus præſtare poſſe, quàm ſanctos Dei miniſtros, vanitatibus etiam gaudet, lintea hæc & illa abomina-

minatur, cum multa ſine faſtu de more vſurpentur, maiora peccata ne taxat quidem, nihil aliud quærit, quàm turbare etiam pios, conſcientias torquere, gloriam Dei magis lædit, quàm promouet, cum rabie diabolica tot furere faciat. Rumor eſt mortuos etiam ambulare, meræ præſtigiæ hæ: Non ipſi qui videntur ambulant, ſed diabolus in ſpecie eorum, ſicuti non erat Samuel à Pythoniſſa in Saulis gratiam excitatus.

Rurſus an miracula hæc diabolica immediatè vel mediatè per magicos veneficasq́; fiant, abſens nō ſatis dijudicare poſſum. Suſpicor mediantibus magicis hæc fieri. Sed quoquo modo ſe habeant, opera tamē diaboli, & miracula diabolica ſunt, permittente Deo, quæ nobis omnibus piè & ſeriò conſideranda veniant. Pulchrè congruunt dicta, Luc. 21. & Apocalypſ. 12. Sed adde 20. caput, in quo vltima plaga rabie diabolorum inferenda, paulò ante finem mundi deſcribitur, & Diabolus ad mille annos clauſus ad abyſſum inferni vſque ad breue tempus recluditur. Commiſerationem merentur homines afflicti, ſed contemnendus diabolus, nec ei quicquam credendum, nec in eius gratiam oratio Dominica, vt aliquando Abdias Præterius Francofurdiæ in publica prælectione dicebat, peroranda. In Deo confidamus, qui & Diaboli vires frangere poteſt, & ei tanquam hoſti ſuo ne minimum quidem fidei aut reuerentiæ exhiberi vult: Si in hac ſcæna medium alicuius magi lateat, nobis

propter

 233

propter mandatum Dei & inſtantes multas neceſsitates huius poſtremi ſeculi mundi orantibus ardenter in tempore pateſiet, & nolens volens quieſcere, author omnis mali cogetur. Timidus ſane, vel magicus ille, vel Diabolus eſt, qui neminem niſi vulgares, nullos nobiles, Barones vel Principes tentat. Faciliùs igitur conſtanti contemptu eius & pijs precibus eijcietur. Ex addita intimatione cognoſces, quæ pro virili publicè declarem & prælegam. In Marchiacorum diabolicorum miraculorum mentionē quoq; incidi, & publicè dixi, quid ſentirem, ſubinde commonefactione de emendanda vita noſtra in hac rabie diabolica & Turcica tyrannide reiterata. Tu cum tuis nobilibus, quibus ex me ſalutem dicas, haſce meas meditationes boni conſule & vale. In Iulia Academia, quæ eſt Helmſtadij, 22. Ian. Anno. 95. quem tibi tuiſq; ex animo felicem precor.

CONRADVS PÆDOPATER, IACOBO HORSTIO D. S. D.

IVdicium excellentiæ tuæ de ſpectris & præſtigijs in Marchia Brandeburgenſi accepimus, & pleriq; boni præſertim collegij Aſſenburgiaci alumni de illo ſibi gratulantur. Noſtris nobili-

bus etiam adeo probatur, vt in vernaculam ipſorum linguam transfundere iuſſus ſim. Meæ etiam expectationi adeò ſatisfactum eſt, vt pietatem cum ſapientia ac arte meritò in te coniunctam prædicem. Ideoq; quot Agamemnon apud Homerum Neſtores, quot Darius ſibi Zopyros optabat, tot etiam (abſit inuidia dicto) Horſtios noſtro ſeculo precor. Ago T. Excell. gratias quàm maximas omnium noſtrorum nomine, quod illas cogitationes ſuſcipere non grauata ſit, nobiſque verè pias ac graues meditationes communicârit, confido nobiles noſtros T. Excell. viciſsim ſuam beneuolentiam comprobaturos. Hiſce T. Excell. cum vxore & liberis, animulis tuis tutelæ ac protectioni diuinæ etiam atque etiam commendo.

DE

241

DE NATVRA, DIFFERENTIIS ET CAVSIS EORVM, QVI DORMIENTES AMBVLANT, Vigilantium opera, eaq́; difficilima perficiunt, & aliquando culmina tabulataq́; ædium perreptant:

CVM CERTA RATIONE,
tum προφυλακτικῆς, hoc eſt, præſeruandi
eos, ne ad hoſce mores redeant: tum θεραπευτικῆς, hoc eſt, curandi atq; tractandi in ipſo paroxyſmo:

AVTORE

IACOBO HORSTIO
artium ac Medicinæ DOCTORE & PROFESSORE in Academia IVLIA ordinario, Ducum Brunſuicenſium & Lunæburgenſium Medico.

Huic doctrinæ annexa ſunt omnia, quæ veteres ac recentiores, licet perpauca ſint, de his conſcripſere: acceſſere quoq́; marginales gloſſæ & alia addita.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

 242

NOBILISSIMIS VIRIS, IMAGINIBVS MAIORVM, VIRTVTE ET PIETATE præſtantiſſimis, AVGVSTO de Aſſenburgk in Newdorff & Falckenſtein/ Ludouico de Aſſenburg in Schermbeck & Hindenburg: Iohanni Erneſto de Aſſeburg in VValhauſen & Peſchendorff, fratribus: Dominis & amicis ſuis colendis.

MVlta in rerum natura, viri nobiliſſimi & Domini in perpetuum colendi, ſunt abſtruſa & occulta. Neq; enim DEVS Optimus Maximus nobis, qui mentis caliginem pœnam peccati primi lapſus hominum promeriti ſumus, aditum facilem ad ea, quæ abditiſsima ſunt, patere voluit, ſed multo labore omnia rimanda & eruenda ingenioſiſſimis quibuſque reliquit. Ac horum non pauca reperiuntur, quorum finis eſt ſola contemplatio, vt mens verita-

tis ſtudio & rerum inuentarum gaudio percupidè fruatur: Plura ad communem vitæ generis humani vſum modò hunc, modò alium conferuntur. Qui fieri ſolet, vt alij aliorum ſtudiorum ac voluptatum deſiderio teneantur atque ſummopere flagrent. Medici, ea quæ ad ſanitatem hominis vel præſentem tuendam; vel imbecilliorem à morbis præſeruandã, vel amiſſam curatiua morborum reſtituendam faciunt, ſedulo inquirunt. Ex his recentiores, viri doctiſſimi & ſolertiſſimi magnã eorum, quæ antea incognita fuêre, partem addiderunt. Maiorem ſapiens vetuſtas prius inuenit. Maxima autem pars adhuc hodie abſtruſa & occulta manet: vnde ἀναιτιολόγητα, quorũ nec cauſa, nec ratio vlla reddi poteſt dicuntur. Multo minus omnia, ſiue proprietates corporum humanorum, ἰδιοσυγκρασίας vocant, ſiue morborum accidentia, ſymptomata dicunt, ſiue mutationes mor-

borum

263

borum ſubitas periculoſaſq́; criſes appellant, ſiue materias auxiliorum, plantas earumq́; vires puto, ſpectes, ſub intellectum & cogitationē medici cadūt. Sufficiat nobis copia doctrinarum medicarum de multis veris, vtilibus principijs ac ſibijpſis in arte conſentientibus ſiue præceptis, ſiue plantis, eaq́; rectè & prudenter, imò quàm certiſſimè ac tutiſſimè ad ſanitatē hominis adſequendam accommodare diſcamus. Ac cū mens hominis, ſi vel omnium maximè medica tum ſcientia in arte, tum exercitatione in vſu confirmata fuerit, lubrica ſit, ac facilè errare queat: medici arti ſuæ non nimium fidant, ſed ſubinde numen Diuinum, ſine quo nihil eſt in homine, piè exorent, vt illud & omnibus conſilijs & factis ſua benedictione adſit.

In cæteris, quæ nobis & natura, & Deus hactenus planè occulta reliquit, medici partim omnibus ſanæ mentis hominibus meritò ſunt excuſa-

cuſati, ſi vel illa ignorent, vel tales morbos, ſymptomata cauſasq́; eorum, imò etiam proprietates corporum humanorum curare & tollere nequeant: partim ſolerti ſtudio indagare conantur, vt,& malis antea incognitis ac inſanabilibus mederi magis poſſint. Ex horum genere reuera eſt ambulatio, aliaq́; admiranda operatio dormientium, ea nimirum, quæ non ritè fit, nec prout decet, nec periculo noxaq́ue caret. Nam rectè ambulantibus operantibusq́ue, tum mens, tum ſenſus omnes vigiles attendere ac circumſpectè agere debent, neutiquam ſimul & dormire & vigilare decet. Rarius hæc hominibus accidere olim arbitrabar, nec vlla inueſtigatione cauſarum & modi corrigendi hæc corpora, ac in meliorem tutioremq́ue ſtatum reducendi opus eſſe putabam. Sed me ſeneſcentem, ad quem tot tantiq́ue conſilij petendi gratia, quotidie accurrunt, aliud experien-

tia

 244

tia docuit. Plures opinione vel mea vel aliorum ſunt, quorum quidam ſeſe fidei & taciturnitati noſtræ, quæ ad finem vſque vitæ omnibus vel iuramenti Hippocratis religione ſalua, σὺν θεῷ manebit, commendârunt, vt nec nominare fas ſit.

Quare ſeriam de his cogitationem ſuſcepi, & cuiuſdam ambulonis, qui hoc anno paſſim omnibus in noſtra Academia innotuit, exemplo adductus, publicè hanc doctrinam in magna frequentia auditorum Academiæ Iuliæ triduum docui. Ac cum non tantum ſtudioſi, ſed etiam Profeſſores quidam collegæ mei optimi ac honorandi, me etiam atq; etiam rogarent, vt dicta publicè conſcriberem, & in lucem ederem, quo plures & alij & ipſi huius doctrinæ compotes ſimul fierent, morem geſſi, & hoc opuſculum breuiter concinnaui, ac ſecunda editione non parum auxi.

Amplitudinibus autem veſtris, vi-

ri integerrimi atq; nobiliſſimi, dedicandum duxi, vt & meam in vos omnes obſeruantiam teſtarer, & pro veſtro ſtudio iuuandæ Academiæ Iuliæ gratum animum declararem. Nam nemo veſtrum eſt qui vel virtute vel autoritate, vel nobiliſſimæ familiæ antiquæ ſplendore alteri cedat. Te AVGVSTVM ob prudentiam & eruditionem tuam ſumma cum humanitate coniunctam tanti quanti decet fecêre Duces inclyti Brandeburgenſes & Brunſuicenſes: Te Ludouicum ob ingenij acumen, & eximiam bonarum artium culturâ omnes boni, inprimisq; HENRICVS IVLIVS Epiſcopus Halberſtadenſis & Dux Brunſuicenſis clementiſſimus noſter Princeps intimis animi ſenſibus amplectitur: Te IOHANNEM ERNESTVM ob eloquentiam & fortitudinem illuſtres atque alij Principes viri obſeruant. Neq; vobis ſatis fuit vna cum alijs nobilibus Ducatus Brunſuicenſis magnos ſumptus

ptus in Academiam Iuliam liberaliter feciſſe: ſed & Profeſſores eius adhuc hodie benignè fouetis, & Rempublicam literariam conſilio atq; opera iuuatis. Quare cum auctiorem hunc librum ederem, plures etiam Mœcenates vos fratres eſſe volui. Amplitudinibus veſtris ego omnia, quæ poſſum & debeo, quàm humilimè rurſus offero. Valete. Ex Iulia, Menſe Septemb. Anno 1595.

Ampli. veſtr.

Studioſiſſimus

Jacobus Horſtius D.

AD CLARISSIMVM, EXCELLENTISSIMVM ET ELEgantiſsimum Medicum D. IACOBVM HORSTIVM.

PAnde ſinus NATVRA *tuos: arcana recluſis*
Namq; patent foribus cuncta theatra ſuis.
Quæq; prius ſunt viſa tuis miracula alumnis,
Non magis hæc gelidi ſigna ſtuporis alunt.
Omnia mens abſtruſa ſagax rimatur, & vrgent
Ingenij arcanum luxuriantis opes.
Sed quis opus doctè deduxerit admirandum
AMBVLO *quod media tutè quiete moues?*
Sic vt inacceſsi præcelſas culminis ædes
Perreptes, peragens lumine caſſus iter.
Atq; oculis ineas clauſis, quas ipſe nequiret
Tutus Ariſtorides Argus adire vias.
Has nimio cauſas niſu Natura latentes
Occuluit varijs hactenus ipſa locis.
Quid non vincit amor Sophiæ? Namq; HORſtius *acri*
Ingenio has tandem noſcere poſſe dedit.
Et naturali ducatur vt ordine mirus
AMBVLO, *ſat ſtabiles fecit inire vias.*
Huic & Apollineam fas eſt applaudere pubem
Laudibus, & celeri ſubdere calcar equo.
Sic magis aucta ſuis ſuccreſcet IVLIA *donis,*
HORSTIVS *& clarum nomen ad aſtra feret.*

Tobias Coberus Medicinæ ſtudioſus, & poëta Laureatus.

216

DOCTRINA DE NATVRA NOCTAMBVLONVM.

CAPVT I.

De euidentia naturalis ambulationis & aliorum voluntariorum motuum in ſomno.

MVLTI SVNT, QVI CVM *vel cauſas, cur dormientes in ſomno ambulent, variaq́ opera peragant, ignorent, vel ipſi tales nunquam viderint; nihil eorum, quæ dormientes perficiunt, vtut à fide dignis vel doctoribus referri audiunt, credant. Neq; id mirum. Nam & Galenus præclarè in phyſicis & medicis exercitatus, de ſe ipſe ſcriptũ reliquit: Quæcunq; actiones muſculorum in medio ſunt inter extremas & mediam figuram, in his vt plurimum ſomnum capimus. In quacunque enim talium conſtituens membrum muſculis circa ipſum tonicè agentibus cuſtodiam figuræ commiſeris, ſic ſeruãt,*

Noctambulonum naturam pauci credunt.

Exemplum Galeni lib. 2. de motu muſcul. capit. 4.

adeò vt ſedentes quidam ſæpe dormiuerint, & nonnulli deambulantes, & hoc equidem audiens non credebam: & qui illos ambulones dormientes ſomnoq́; oppreſſos tecto exilire, ſurgere, eo ſe ſubducere, modò aliquid, modò nihil ſecum auferre, ambulare, ſcalas aſcendere & deſcendere, ianuas aperire, varia opera, quorum quædam vigilantibus impoßibilia ſunt inoffenſè peragere, imo culmina tabulataq́; ædium ſine noxa perreptare ſpectant, non poſſunt non eos admirari, & cum ſtupore videre, donec edocti naturam horum omnium magis magisq́; cognoſcant. Itaq; initio huius doctrinæ de natura eorum duo tantum docebimus:

Exempla aliorum.

Summa doctrinæ capitis primi.

Rationes duæ cur Noctambulones eſſe credamus.

1\. *Vnum, experientiam teſtari hanc ambulationem: expertis verò credere fas eſt.*

2\. *Alterum, euidens ſenſui eſſe, in dormientibus motus voluntarios, qui vnũ membrum huc, alterum illuc moueant, non feriari omnes: nec muſculos omnes otioſos eſſe. Qui verò euidentibus fidem*

dem derogat, ſenſus eſt expers.

Experientiam multæ hiſtoriæ ambulonum, quæ paſſim recitantur, meritò confirmant. Sed omiſſis alijs paucas tantum, quas decet, & nos experti ſumus, hoc eſt, quas vel αὐτοψίᾳ vidimus, vel à fide dignis audiuimus, bona fide recenſebimus. Multo plura ſcio quæ taciturnitati noſtræ commiſſa ſunt. Experientia confirmatur hiſtorijs.

Francofordiæ ad Oderam M. Martinum Guttenbergerum, medicinæ id temporis ſtudioſum, qui poſt promotus in Doctorem, multos annos medicum Reipub. Rotteburgenſis ad Tuberim egit, & ante biennium mortuus eſt, iuuenem perſpicacis ingenij, paruæ ſtaturæ hominem, calidum & ſiccum toto corpore, niſi quod cerebrum humidius haberet, contubernalem meum, cum ambo in eadem habitatione ſuperioris tabulati collegij dormiremus, ego expergefactus in cubiculo nudum ambulantem & ſimul dormientem, mox aſcendentem clauſis oculis & palpitando ad feneſtram permagnam prorſus apertam, vt 1. Hiſtoria D. Martini Guttenbergeri.

iam in illa ſtaret, aduentantem cum admiratione & ſtupore ſpectaui, ſed quia, ne feneſtra egreſſus caderet, & periret, metuebam, ſequor, ſtantem meis manibus à tergo amplector, & è feneſtra ad cubiculum retraho, appellatione propria alijsq́; commotionibus excitans, ac quærens quid agat, reſpondet, nihil: Vlterius interrogatus, cur nudus ambulaſſet, & feneſtram aſcendiſſet, dicit ſe nihil horum ſcire; ſicuti poſtea ſeſe omnia hæc neſcire mihi, cui aliàs ne minimum quidem vnquam pro arctiſſima coniunctione diſſimulabat, confeſſus eſt.

2. Hiſtoria Iohannis à Schleinitz in Hoſt.

Rurſus antequam artium ac medicinæ diſcendæ gratiâ Francofordiā ad Viadrum, vbi decem fere annos vixi, me conferrem, ſtudioſum literarum in alijs Academijs egi, vocatus fui ad Schleinicios nobiles præcipuos in Miſnia inſtituendos, quorum pater Georgius à Schleinitz in Serhauſen conſiliarius multorum principum ac vir integerrimus mihi coràm dixit, ſeſe & duos fratres in ſomno ſæpius ambulaſſe, alterum horum cum

cum Lipſiæ literis operam daret, dum ita ambulat, ac tegmina ædium perreptat, cecidiſſe & crus fregiſſe, præceptorem verò eorum hoc periculo adductum alios fratres in ſomno ambulantes, & culmina ædium ſcandentes noctu obſeruaſſe, & eos redeuntes ad lectum expectaſſe, atq; cum in tuto eſſent, virgis tamdiu cecidiſſe, donec expergefierent ſpontè, quod cum bis terúe factum eſſet, nunquam amplius in ſomno ambulauerunt.

Tertiò, tres nobiles in arce Bernſtein iuuenes, & ſat bellicoſi fratres, in eodem cubiculo dormiunt, quorum vnus nudus in ſomno ſurgit, induſium manibus ſecũ aufert, è lecto ſeſe ſubducit, ſilens pergit ad feneſtram, corripit funem è trochlea pendentem, & in domus faſtigium prorepens, incidit in nidum picarum, quem diripit ac diſsipat, pullos induſio inuoluit, iterum deſcendit, ambulat, & ad lectum ſe confert, pullos cum induſio ibidem abſcondit & bene dormit. Mane expergefactus cum 3. Hiſtoria nobilium de Bernſtein.

M 5 *fra-*

fratribus loquitur, nihil ſcit, niſi quod quaſi per ſomnium recordatur, fratribus ſuis hæc verba refert: Narrabo vobis mirabile ſomnium, viſus ſum mihi ſurgere è lecto, ambulare, penetrare ad domus faſtigium, nidum picarum diſturbare, pullos auferre mecum: alÿ ipſum rident. Nihilominus poſt hæc & alia colloquia ſurrecturus, quærit in lecto induſium, ſed illud pullis circumdatũ pulloſq́; viuos inuenit, omnes ad turrim accedunt, & nidum fractum expugnatumq́; vident.

4. Hiſtoria Blanckenburgici ſcholaſtici.

Quartò, adoleſcens, vel puer adhuc frequentans ſcholam Blanckenburgi in radice Hercinia, ſæpe in ſomno ambulare, & varia opera peragere ſolebat. Is non modò noctu, ſed etiam quoties poſt cœnam omnibus aſtantibus (ſæpe autem poſt cibum dormire ſolitus eſt) in ſomnũ incideret, adeò profundè opprimebatur, vt nulla voce nec forti commotione facilè excitari potuerit, & excitatus à ſomno & in lectum iterum deportatus dormierit: manè verò nihil de

ÿs

ijs omnibus quæ peregerat vel alij cum ipſo perfecêre, ſcinerit: Ac quod magis eſt, tàm profundo ſomno oppreſſus, quicquid apprehendit, ſiue menſam, ſiue clauum in pariete, ſiue mantile, ſiue veſtem tam firmiter tenuit, vt manus eius vix duo aut tres aperire, ac inde auferre poſſent, ita, vt ſæpe veſtis illi in manibus potius relinqueretur, & vna cum ipſo in lectulum deportaretur, donec expergefactus, ſponte dimitteret, quàm tantum laboris cum ipſo inſumeretur. Noctambulones profundũ ſomnum habent.

Quintò, accidit cuidam ambulanti in ſomno, vt aſcenderet rotam, qua ſarcinæ attrahi & demitti ſolent, in ea poſtea ſcilicet mobili ſederet, donec ſponte deſcenderet, & ſilens in lectum ſeſe iterum conferret. Paterfamilias hæc cognoſcens, & cum admiratione ſpectans, aliquando ſubſternit lectulos multos, ſedentem acclamat, appellatione nominis ſui è ſomno eum excitat, vnde ambulo terrore quodam, ſine noxa tamen, cadit, neq; poſthac vnquam in ſomno amplius ambulat. 5. Hiſtoria aſcendentis rotam.

Sextò,

6. Hiſtoria eximij Iureconſulti.

Sextò, vir quidam clariſſimus ingenio præſtanti & doctrina excellenti mihi ipſe narrauit, ſeſe adoleſcentem ſurrexiſſe, lecto ſe ſubduxiſſe, & ad illum ſponte rediiſſe: quod ille prorſus neſciuit, niſi quod parentes eius inter dormiendum ambulantem ſecuti ſunt, & ei narrauerunt. Hic verò hodie ſenex Reipub. præclaram operam nauat, & vix ſimilem habet. Aliis autem ætatibus nihil tale, quod dormiens ambularet, vnquam peregit.

7. Hiſtoria coqui Ducis Holſatiæ.

Septimò, noſtis in hac vicinia aliquē, cuius pro concione facta eſt mentio, die 24. Martij noctambulonem fuiſſe, qui cum è lecto ſurrexiſſet, de ſcala deſcendiſſet, iter magnum per aream ædium feciſſet, in culinam venit palpitando, puteum ingreſſus eſt, & parieti eius digitis manuum pedumq́, firmiter adhæſit, nudus, induſio tantum indutus, nec aquam in puteo niſi fimbria induſij palmæ quantitate tetigit, ſponte expergefactus fortè gelidæ aquæ contactu clamat: O mein bein/ helff mir. *Domeſtici audita*

250

dita & agnita voce, illum quærunt, putei parieti affixum manibus pedibusq́; inueniunt, ſcalam cum lucerna illi porrigunt, ſed cum hac ratione redire non poſſet, vrnam illi demittunt, monentes vt illam dextro pede ingrediatur, dextra verò manu catenam apprehendat, ſeſe extractum iri, quod feliciter factum eſt, ſed valde refrigeratus in puteo, & in lectulum deportatus obmuteſcit, & vix palpebras easq́; rarius, nec niſi valde excitatus aperit. Ad quem curandum ego vocatus, ea die in remedijs contra apoplexiam porrigendis multum laboris temporisq́; inſumſi, vix quædam & pauciſſima loqui illa die cœpit, commotusq́; corpore parumper, ſtatim vomuit cum ſingultu quodam, mente autem tota die priuatus fuit. Sequenti mane ego iterum iſtum viſitaui, ſed omnia loquentem & mentis bene compotem inueni, vbi interrogatus, num aliquid ſciret, dicit ſibi quaſi per ſomnium videri, quod ambulaſſet, & cadere voluiſſet, ignem ſuper ſeſe conſpexiſſe quoq;, &

Apoplexia per accidens Noctambulones afficiuntur.

& ſub aqua fuiſſe, ſed & induſium in fimbria parumper madefactum aquâ, omnibus alijs ſuis partibus planè ſiccum & corpus vniuerſum aridum frigidumq́; teſtantur, ipſum aquæ nec totum nec vlla parte immerſum eſſe, ſed paruam partem induſij vel in vrna, dum egreſſus eſt, vel cum perreptando parietes putei ad aquam vſq; deſcendiſſet, tantum madefactum, frigore verò aquæ excitatum fortè fuiſſe. Tertia, quarta, quinta, ſexta, ſeptima die, cum illum ſæpius inuiſerem, nihil mihi, niſi quod magnus digitus pedis doleret, & tumeret conquerebatur. Apoplexia verò hunc extractum ex puteo ſtatim ſecuta eſt, ex nimia refrigeratione ab aëre frigido & iſtius intempeſtæ noctis & aquæ in puteo: Cætera ſunt partim naturalia propria ambulonum, partim etiam diuina miraculoſaq́;. 1. Quod expergefactus non ceciderit. 2. Quod apprehenſionis naturalibus inſtrumentis, ſcilicet digitis pedum manuumq́; expanſis tam diu firmiter adhæſerit parieti. 3. Quod ignem

Apoplexiæ cauſa in Noctambulone vnico.

ignem viderit ſupra ſeſe, ſi ignis vel ſtella fuerit, ſed tamen ſuſpicor, cum circa tempus pleniluniȷ acciderit, ignem ſibi [illegible] .m lumen lunæ in puteo refractum.

4. Addo quod ſex dies antequam illi hæc ambulatio & apprehenſio parietis putei accidiſſet, dixit mentem ſibi aliquid magni mali præſagire. Sed hæ hiſtoriæ, quas vel ipſe vidi, vel à fide dignis audiui, ad experientiam ſufficiant: plures ſcio, quæ incerto authore narrantur, incertiores igitur pro certis venditare nolo: multa etiam taciturnitate ſepelienda.

Alterum, quod ſenſui euidens ſit, voluntarios motus à nobis etiam, qui non ſumus noctambulones, dormientibus perfici, declarandum eſt, vt rei huic, noctambulones in ſomno ambulare & certa opera peragere volentes poſſe, etiamſi poſtea non recordentur & neſciant, fides fiat. Voluntarios motus à dormientibus perfici.

Somnus medicis & phyſicis vulgo quies animalium facultatum, quarum vna quoq; eſt locomotiua, dicitur. Sed Somni definitio.

rectè

Lib. 2. de motu muſcul. cap. 4. *rectè Galenus monet, intelligendam hanc definitionem non eſſe de perfecta quiete earum, ſed ſecundum quid, & ceſſationem motus voluntarij, ſicut & ſenſuum, in ſomno non perfectam eſſe quietem, ſed quaſi intermiſsionẽ quandam vigoris: Si aliter de perfecta quiete dicitur, ſententiam falſam & temerariam eſſe. Multa igitur nos in ſomno dormientes facere non tantum opera naturalia, quæ ne mutari quidem à nobis poſſunt, vt concoctionem cibi, pulſus arteriarum & ſimilia, ſed etiam voluntaria, quæ ἐκ προαιρέσεως procedunt, certum eſt.*

Definitionis ſomni explicatio.

Exemplum voluntarij motus in ſomno.

Lib. 2. de motu muſcul. cap. 4.

Eodem lib. cap. 5.

Euidenter enim nos hæc, quæ ſenſibus videmus fieri, nimirum, in latere modò dextro, modò ſiniſtro dormire, huc & illuc dormientes membra mouere, reſpirare, in ſomno loqui, vrinam reddere, & excrementa alui excernere, docent, quod voluntario motu peragantur & à dormientibus ſponte perficiantur. Euidentiſſimum enim indicium de voluntarijs actionibus hiſce tribus ſignis confirma-

Signa tria voluntariarũ actionũ.

rmatur. I. Si, quæ fiunt, ſedare potes, 1.
cum vis. II. Si, quæ non fiunt, facere po- 2.
tes, cum velis. III. Si citius aut tar- 3.
dius, crebrius & rarius faciendi ea poteſtatem habes. Nullam verò horum operum in ſomno, quæ nos enarramus, eſt, quod non ſedare, cum volumus, poſſumus: Nec ſi non facere liceat nobis citius aut tardius, perficere non negatum eſt. Fortè reſpiratio ſola alicui non in noſtra poteſtate eſſe videtur, ſed aliud ipſa experientia docet, ſcilicet quod quiuis reſpirationem cohibere, cum vult, poteſt. Memorabile eſt, quod Galenus ſcriptum reliquit: Quod totũ opus reſpirationis voluntate & ſponte ab anima fiat, declarauit Barbarus ſeruus, qui, cum vehementi ira concitatus, mortem ſibi conſciſcere decreuiſſet, proſtratus humi, reſpiratione cohibita longo quidem tempore immobilis erat: poſtea verò paulatum volutatus, hoc pacto mortuus eſt. Quare cum nos dormientes nec muſculos organa voluntarij motus ocioſos habeamus, nec à volunta-

Reſpirationem eſſe in noſtra poteſtate.

Lib. 2. de motu muſcul. cap. 2.

Hiſtoria Barbari ſerui morientis ex cohibita reſpiratione.

luntarijs actionibus prorſus feriemur, quis mirabitur quoſdam homines ſingulari proprietate ſuæ complexionis in ſomno ambulare, varia opera peragere, & demum tegmina ædium & parietes earum, quos ne vigiles quidem poſſent, perreptare, atq; ex προαιρέσεως hoſce voluntarios motus obire, ſed quia mens non adeo intendit, expergefactos omninò vel planè vel maxima ex parte obliuiſci.

Cur noctambulones omnium obliuiſcantur.

Capvt II.

De differentia tum diuinorum tum etiam voluntariorum motuum in natura noctambulonum.

Diuina prouidentia cõſideranda in naturalib⁹.

QVemadmodum autem in omnibus rebus naturalibus conſeruatio & prouidentia diuina diligenter conſideranda eſt: ita in hiſce ambulonibus eaſdem non ſine numine diuino fieri ſtatuimus. Hippocrates enim ipſe medicus ma-

Lib. de elegantia medici.

253

magnus & pius, quoad Ethnico licet, ſcripſit: Cum in alijs affectionibus & ſymptomatis medicina erga DEVM *valde reuerenter ſe habere comperitur, tum verò medici* DEO *locum dent, numenq́ omnia regens in medicina minimè ſuperfluum & otioſum eſſe animaduertant, & in ijs morbis, quos & ipſi aggrediuntur, & in ijs, quos abſque ſua opera per ſe ſuperari vident. Ambulones enim, dum dormientes ambulant, actionem muſculorum quidem habent, ſed læſam, ideoq́ etſi ambulant, tamen non ritè, prout debent, potiusq́ deprauatè, ſcilicet dormientes, nec ſenſibus omnibus ſatis perſpectè attendentes, licet quibuſdam excellentius, nec abſq́ vitæ periculo: Ita diuinum hoc eſt, quod illæſi conſeruentur. Niſi enim* DEVS *cùm alijs naturalibus actionibus, tũ vel maxime huic audaci temerariæq́ adeſſet, plures offenderentur.* DEO *igitur hîc quaſi in veſtibulo doctrinæ pro diuina miraculoſaq́ conſeruatione & gubernatione eorum ambulonum, qui*

Noctambulonum actio motiua & ſenſitiua læſa.

Conſeruatio noctambulonum illæſorum eſt aliquid diuini.

aliàs etiam planè naturaliter ſe habent, gratiæ agendæ ſunt. Deinde etſi pleriq; ambulones naturali vi & efficacia, in ſpecie animalem puto, ſecundum proprietatem complexionis ſingularem ſibi diuinitus conceſſam omnia agunt, nec quid diuinum amplius habent: tamen quidam ambulones non ſunt merè naturales, ſed partim naturalia opera, partim diuina miraculoſaq; ſimul peragunt.

Diuina in noctambulonibus.

Quæ igitur in quibuſdam ambulonibus miraculoſa diuinaq;, quæ verò naturalia ſint, diſtinguere oportet, ac prius meritò illa declarantur. Omnia autem diuina nunc enarrare impoſſibile eſt. Cum D E V S *nullis limitibus naturæ, nullis etiam anteactis hiſtorijs alligatus ſit; Quædam igitur quæ hactenus præter ordinem naturæ diuinitus in ambulonibus aliquando viſa fuère, dixiſſe ſufficiat. Huius generis ſunt:*

I. Animam mente & voluntate maiora viribus ſuis agere.

I. Animam hominis, quæ quidem naturaliter in ſe continet mentem & voluntatem, atq; προαίρεσιν ſurgendi è lecto,

lecto, ambulandi, varia peragendi, & ad cubile redeundi, ſumit, multo maiora ſuis potentijs vel viribus ac planè diuina agere. Etſi enim huius rei rationes phyſicæ redduntur, quod dum corpus profundiori ſomno oppreſſum quieſcat, nihil animæ impedimento eſt, atq; ſenſus nec periculum vident, nec tangunt, anima efficacior ſit: tamen intellectus mentis ſuper omnem naturam in his ſæpe relucet.

Intellectus mentis ſupra naturam in noctambulonibus.

Narratur hiſtoria de quodam ambulone, qui in ſomno ſurgens omnes ianuas & ſeras aperuit, paterfamilias verò cuſtodiendi eius gratia in cubiculo, ne exiret, ſolerti & occulta arte aliam ſeram oſtio fieri fecit, nihilominus ambulo in ſomno ſurgens, & iterum ad eam veniens, aperuit.

Noctambulo ſerā occultam aperiens.

II. Nonnullos ambulones expergefactos, ſtantes adhærenteſq; periculoſiſſimis locis non cadere, vt in recenti hiſtoria dictum eſt, omnem ſanè captum rationis humanæ, & phyſicæ doctrinæ excedit. Ideoq; ſanctis angelis præter or-

II. Noctambulones ſupra naturales vires ab angelis iuuari.

 dinem

dinem naturæ illis miniſtrantibus & alleuantibus, meritò ſuam in hac parte laudem & gratiam tribuimus.

III. Noctambulones ſupra naturam perdurare.

III. In apprehenſione adeo vehementi omnium rerum ſcilicet, tegminis & parietum, non deſunt naturales rationes, ſicut poſtea dicentur, veruntamen tam diu vires naturales perdurare, nec defatigatione remittere, reuera aliquid diuini miraculoſiq́ eſt.

IV. Mentem præſagam mali.

IV. Præſagire ſibi mentem multos dies antè, tam periculoſas ambulationes in ſomno, aliaq́ opera auditu horrenda, partim animæ inſitum fuit, partim diuinam quandam diuinationem prædictionemq́ ſecum continet.

Naturalia in noctambulonibus.

Naturalia rurſus in hiſce ambulonibus ſunt.

I. Somnus profundior.

I. Somnum grauiorem ac profundiorem eſſe, licet alijs magis, alijs minus, vnde hi vel proprio nomine vocati expergeſiunt, illi nec his nec multis quaſſationibus & verberibus excitari poſſunt.

II. Am-

II. Ambulare, manus pedesq́ mouere. II. Ambulatio in ſomno.

III. Modò aliquid ſecum, modò nihil ſurgentes è lecto auferre. III. Apprehenſio in ſomno.

IV. Varia opera peragere, quæ ſine voluntaria actione & mentis cuiuſdam prudentia effici nequeunt. IV. Opera naturalia mentis & voluntatis.

V. Apprehendere multo firmius tegmina ædium, parietes & ſimilia, quàm vigiles. V. Scandere.

VI. Eorum, quæ ſpontè & voluntariè fecerunt, obliuiſci adeo, vt vel nihil de his vigilantes ſciant, vel ſaltem parum, vnde ſomniaſſe ſibi quidam videantur. VI. Obliuio omnium.

VII. Narratione ſuæ hiſtoriæ perterritos, Melancholicos triſtesq́ fieri. Hæc verò quomodo naturalia ſint, doctrina de cauſis earumq́ effectis, paulò poſt explicabit. Nam diuina conſiderare magniq́ facere & ad gloriam DEI *celebrare, etſi ritè fit, & inprimis eſt conducibile: oportet tamen* DEO *inuocato naturalia quoq́ nos rimari, & naturalium actionum modum in medium afferre.* VII. Melancholia in quibuſdam poſt facta. Hipp. lib. de inſomnijs.

Capvt III.

De nomine eorum, qui dormientes ambulant, ſurgunt, & varia opera in ſomno, ſæpe ea, quæ ne vigiles quidem poſſunt, perficiunt.

NEq; hiſtoriæ horum apud veteres niſi quàm rariſsimè recitantur, neq; nomina ſatis accommodata inueniuntur. Fieri potuit vt plæriq; in familijs ſuis hiſtorias haſce diſsimularent, rati aliquid dedecoris inde eis aſpergi, præſertim cum honoris percupidi & moribus grauiores, tum Latini tum etiam Græci, cum maximè florerent, eſſent. Hippocrates noſter, quantum quidem ego diligentius eius verba perpendens aſſequor, inter ſomniantes referre videtur, vt inſomnes vel ſomniantes appellauit. Nam de Sileno, qui in Platamonis ædibus habitabat, & noctu multa peragendo tumultuabatur, ac ab interprete eius, licet minus rectè, lunaticus ſtatuitur, pro ſua admiranda breuita-

Ratio.

Noctambulones dici poſſunt ſomniantes.

uitate ac ſumma ſapientia nihil niſi hoc ſcriptum reliquit : Inſomnem noctem duxit. In lib. de inſomnijs , in quo non tantum de ſomnijs , quid ſanitatis morborumúe portendant , ſed etiam de ratione tuendæ valetudinis, præſeruandorum & curandorum morborum eruditè diſſerit , loquitur de humido ac pituitoſo illapſo in corporis ambitum, quod hiſce ambulonibus , qui intus calidioris ſanguinis feruentiorisq́; ſpiritus , ideoq́; ibidem leuiores bilioſiq́; exiſtunt , in capite vel frigidiores, vel humidiores, vel vtriusq́; generis , & in toto ambitu pituitoſi , vt nec omnes ſenſus nec oculos aperiant, habentur, accidit, inter ſomniantes enumerat.

Libri Hippocratis de inſomnijs encomion.

Mox poſt tempora Hipp. interpretes eius hiſce ſimiles σελήνους, hoc eſt, lunaticos vocârunt , eaq́; appellatio magno applauſu auditorum approbata eſt, vt Galenus teſtatur his verbis : Silenus, qui in Platamonis adibus habitabat, noctem inſomnem duxit, multa verba, riſus, cantus. Interpres dixit, σέληνος erat,

Noctambulones dicti lunatici improprie.

Comm. 1. in lib. 3. Epidem. Hipp.

rat, lunaticus: His præ admiratione diſcipuli in clamorem eruperunt. Ipſe verò Galenus ironicè irridet, neq; immeritò, cum phreneticus potius eſſet.

Lunatici propriè. *Lunatici quidem denominatio eſt generalior, ac pluribus ægrotantibus imò inſanientibus mania certis lunæ interuallis, propriè competit. Nam qui non ſemper nec continuò mania laborant, ſed certo lunæ interuallo, vel multo poſt iterum furibundi redduntur, σελήνιοι, hoc eſt, lunatici propriè ſunt, propter duas cauſas.*

Lunaticorum cauſæ.

1. *I. Quod non conſtantes in ſua ſapientia ſunt, ſæpè perbellè ſe habent, & aliquando in furorem ſubitò conÿciuntur. De quibus Eccleſiaſticus docuit:* Cap. 27. *Senſatus homo in ſapientia manet, ſicut Sol, ſtultus ſicut luna mutatur.*

2. *II. Quod luna cum effectu ſuo humiditatibus præſit, eas moueat & augeat, non immerito maiorem vim in morbos cerebri, inprimisq; in maniacos habere dicitur. Hæc verò eo magis lunaticos hoſce reddit, ſi concipiuntur naſcun-*

ſcunturq́., vel in interlunio, vel ea ma-
lè in aſpectibus collocata. Euangeliſta
Matth. hoſce intellexiſſe videtur, cum dixit: Obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & σεληνιαζομένους, hoc eſt, lunaticos & paralyticos. Cap. 4.

Secundi generis lunatici, Epileptici rectè dicti ſunt, propter eaſdem cauſas, quod Epilepſia & inconſtanter ægros corripit, & morbus cerebri, qui à lumine lunæ variè afficitur, exiſtit. Quã ob cauſam in Euangeliſta Matth. expreſſe Epilepticum Chriſto adductum, lunaticum vocari legimus: Domine miſerere filij mei, quia σεληνιάζεται, id eſt, lunaticus eſt, & male patitur, nam ſæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam. Epileptici lunatici. Cap. 17.

Tertij generis ſunt in ſomno ambulantes, modò ſilentes, modò tumultuantes, vulgò Græcis σέληνοι aut σεληνιαζόμενοι, hoc eſt lunatici, germanicè, Monſichtige oder Monſchlechtige Lunaticorũ ſimilitudo cum noctãbulonibus.

dicun-

dicuntur, ſed non adeo propriè: Eædem tamen rationes, propter quas alij vocantur, hiſce quoq; quodammodo conueniunt.

I. Hi non ſingulis noctibus, ſed rarius, ſcilicet alij magis, alij minus dormientes ambulant, & inconſtanter cum aliàs ſæpe bene dormiunt, veluti luna mutantur.

II. Luna ſine dubio hiſce aliquid copioſioris humiditatis in intimis cerebri, & ambitu corporis confert, vt & grauius ſomno opprimantur, & cum multa ſentiant peragantq́; : tamen in ambitu quidam muſculi, ſcilicet hi, qui claudunt oculos, nimis humectati ferientur. Hippoc. in lib. de inſomnijs ideo vult, ſi luna vel etiam alia ſidera ab aëre aut nube, aut aqua quaſi extingui, aboleri, aut lædi videantur, ſomnia hæc indicare in corporis interna humidum illapſum excrementum, & in ambitu corporis fieri talia.

In ſomno ambulantes Galeno dicti, lib. 2.

Galenus, qui longè poſt Hipp. ſcripſit, nullum illis nomen, niſi in ſomno ambulan-

lantes, adſignat, & tribus capitibus de eis docet. de motu muſcul.

Leuinus Lemnius, vir pius & multa doctrina refertus, vocabulo magis apto & proprio quàm latino, ambulones denominauit. Ambulatores enim ab ambulando, & circumeundo in foro multùm, dicti ſunt: Anteambulones, qui principibus viris præirent, eosq́; domum deducerent. Vnde Leuino ambulones, quo vocabulo antea nemo vſus fuit, de hiſce ambulantibus in ſomno & varia peragentibus, ritè ſonat. Et Petrus Salius diuerſus, qui præclaram in arte medica operam nauat, appellauit, dormientes qui vigilantium munia obeunt. Mihi vocabulum noctambulonum maximè arridet, quod pleriq; omnes noctu ita ambulant, dormientes. Nemo enim, niſi Galenus, interdiu dormiẽs ambulauit, à maxima autem parte denominatio fieri debet, omitto ſuperſtitioſas appellationes: Vnde hi male baptizati dicuntur, quod illis contingere hanc ambulationem inter dormiendum putant,

Ambulones apud Lemnium. Lib. 2. de occult natu. mirac. cap. 5.

qui-

quibus in baptiſmo ſacerdos aliquid verborum vel ceremoniarum omiſerit, cum experientia hoc vaniſsimum eſſe teſtetur.

Capvt IV.

De definitione noctambulationis in ſomno, & noctambulonum.

Cur definitio noctambulationis apud veteres non extet.

Nemo neſcit earum rerum, quas veteres nihil aut parum ſcriptas reliquere, nullas quoq; definitiones extare. Sed quia nos naturam noctambulationis in ſomno & noctambulonum magis declarare annitimur, nec poſſumus, nec etiam debemus veram earum rerum definitionem ſilentio præterire.

Noctambulationis definitio.

Noctambulatio eſt motus hominis voluntarius cum ſomno & vigilia mixtus nec ritè factus. Ac vt definitionem declaremus vlterius:

Ambulatio in ſomno eſt motus muſculorum & aliorum membrorum corporis

poris humani, quæ non tantùm erectioni ambulationiq́ſ, ſed varijs etiam operibus peragendis ſeruiunt, voluntarius, cum quiete quorundam, tam quo ad ſenſum, quàm quo ad motum mixtus, vt mentis & cerebri ac organorum huic ſubſeruientium facultate varia perficiat, vi verò quadam quieſcente non omnia ſentiat, nec omnes muſculos moueat, ſicq́ſ mens corpusq́ partim vegetum viuat, partim ſomno oppreſſum quieſcat, dormiatq́ſ, nec ritè omnia faciat. Noctambulones verò ſunt homines inæqualis complexionis, aut frigidioris aut humidioris, aut vtriuſque ſimul in cerebro, vt ideo in valde profundo ſomno ſenſus & motus nonnulli ferientur, & calidioris ſicciorisq́ſ cordis & hepatis, ita vt calore ſanguinis æſtuantis, & agilitate ſpirituum mens, cerebrum, & organa alia motus in illis ad mouendum ſeſe ſponte ac varia opera locomotiuæ peragenda, quàm promptiſſima euadant. Nam in ambulatione & muſculos cum neruis alijſq́ſ ſeſe Noctambulationis definitionis declaratio. Noctambulonum definitio. Definitionis declaratio.

ſpon-

ſponte mouere, ideoq́ſi pedes ambulare, ſi manus apprehendere, ſi corpus totum ſurgere, ſi mens & cerebrum cum neruis muſculisq́ſimul agent, varia & ſolertia opera, quæ ne vigiles quidem poſſent perfici, quoſdam tamen muſculos, ac quædam organa voluntaria ceſſare & quieſcere, ita vt palpebræ oculorum plerunq; clauſæ maneant, oculi non videant, & multa non ſentiantur, tum experientia in hiſce ambulonibus docet, tum pulchrè Galen. lib. 2. de motu muſcul. cap. 4. 5. & 6. docèt.

Et quod magis eſt, tum demũ ipſum crediſſe, cum ſibi ipſi quod præcedente nocte non dormyſſet: iter facienti idem accidiſſet, vt integrum ſtadium perambularet dormiens, ac ſomnia quoq; haberet, nec niſi cum lapide offenderetur excitatus fuiſſet. Verba Galeni hæc ſunt: Lib. 2. de motu muſc. cap. 4.

Nonnulli deambulantes dormierũt, quod audiens antea nõ credebam. Cum autem fuit opus aliquando, per totam noctem iter facere, experientia rem ipſam edoctus, coactus ſum credere.

Ferme

Ferme enim ſtadium integrum dormiendo peregi, & ſomnia videns non prius excitatus ſum, quàm in lapidem impegerim, & id eſt profectò, quod non permittit dormientibus iter facere longum, quia nō poteſt exactè leuem viam nanciſci. Id igitur ſolis expertis credibile eſt.

Definitiones cauſales eſſe voluimus, vt cauſæ huius ambulationis magis conſtarent, ſed quia paulo poſt de cauſis eorum, hæ ex doctrina de ijs magis patebunt. Definitiones cauſales & ratio earum.

CAPVT V.

De differentijs noctambulonum.

S*Ed tamen noctambulones hi non ſunt vnius generis, nec vno eodemq́ modo ſeſe ſemper habent: differentias igitur eorum prius explicabo.* Noctambulonum differentiæ.

I. Noctambulones alij ſunt merè naturales, alij ſunt & naturales & ὑπερφυσικοί. 1.

II. Noctambulones naturales, alij in 2. Subdiuiſio Noctambu-

lonum ac eorum differentiæ.

ſomno ſilentes ambulant, alij tumultuantes, quorum hi rariores, illi multo frequentiores (ſine dubio, quod hiſce plures ſenſus motusq́, illis pauciores in ſomno ferientur.

III. Noctambulones ſilentes alij plura, alij pauciora opera perficiunt.

IV. Noctambulones alij ſunt planè neſcij eorum quæ in ſomno egerint, alij ſomniando quaſi parumper recordantur, atq; rurſus hi pauciores, illi frequentiores inueniuntur.

V. Noctambulones alij clauſis oculis ambulant, alij videntes, quorum illud maximè contingit.

VI. Noctambulones alij facilè vel ſola nominis proprij mentione facta, expergeſiunt, alij difficulter excitari poſſunt, vt ne quaſſationes verberaq́; illos ſtatim excitent. Ratio eſt, quia in his ſomnus profundior eſt, in illis minus, & in his ſenſus magis feriantur, in illis minus ocioſi ſunt.

Noctambulonum hyperphyſico.

VII. Noctambulones partim naturales, partim hyperphyſici ſunt, qui alias

lias actiones planè naturales, & ſecundum ordinem naturæ habent, alias miraculoſas, quæ planè præter ordinem naturæ fiunt. rum differentiæ.

VIII. Ambulonibus hiſce aliquando DEVS *& ſancti angeli adſunt, aliquando mali angeli ſeſe immiſcent. Sed de diuinis ſacri vates, de diabolicis & magicis illi, qui de magia plura docent: nobis ſatis ſit naturalium ambulonum naturam, differentias, cauſas, effectus, & curam tradidiſſe.* 1. 2.

Sunt etiam quidam homines hiſce ambulonibus naturalibus cognati, primum qui in ſomno loquuntur, alta voce clamant & aliquantulum ſubſiliunt, non tamen ſurgunt, nec ambulant, ſed longè ab ijs differunt. Noctambulonibus cognati. 1. In ſomno loquentes.

I. Quod hi lecto ſpondæq; inhærent, illi è lecto ſurgunt, & ambulando abeunt redeuntq;. Differentiæ. 1.

II. Quod hi merè bilioſi & æqualiter incaleſcentes noctu ita clament, atq; tumultuentur, illi ex vna parte corporis quieſcunt, ex altera hunc atq; ma- 2.

iorem in modum membra ſua hinc & inde moueant.

3. *III. Quod his corporibus humores minus exaſtuent, minorq́; ſit ſpirituum ardor atq; agitatio, quàm illis.*

II. In ſomno videntes acutius.

Cælius lib. 16. lect. antiq.

Deinde vſu venit quibuſdam, vt dormientes oculos aperiant, rectè videant, imò multò magis & acutius, quàm ſi vigilarent. Sic enim legimus Tyberio Cæſari hanc fuiſſe naturam, vt expergefactus noctu non aliter quàm luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris ſeſe obducentibus.

Ratio videntium in ſomno.

Ratio horum eſt, quod cum in his dormientibus ſenſus & motus alij omnes quieſcant, ſpiritus animales calore & viuacitate quadã aucti ad cerebri anteriora maximè vergunt, ſicq́; in baſi, vnde optici nerui oriuntur, meatus apertos, nec ſatis vaporibus in liquorem condenſatis obſtructos inueniunt, mox magna copia in hos influunt, ſic viſionem acerrimam & in ſomno admirandam efficiunt. Sed hi quoq; à noctambulonib. differunt.

Differentiæ Noctambulonum videntium in ſomno.

I. Quod

I. Quod in his muſculi palpebrarum tantùm mouentur, in illis multo plurium aliarum corporis partium: Muſculis palpebrarum liquido humore vaporum oppletis, & in ſomno clauſis. 1.

II. Quod in his ſpiritus verſus anteriora cerebri & neruos opticos, in illis verſus poſteriora cerebri & neruos è ſpina dorſi prodeuntes, qui ſunt cauſæ motus in brachijs & pedibus magno impetu ruunt. Neque diſſimiles his omninò III. Audientes in ſomno. *ſunt, qui vocem cantantis galli vel latrantis canis dormientes audiunt, aut qui in ſomno tum bene olentia tum fœtentia perfecto odore percipiunt & diſ-* IV. Olentes in ſomno. *cernunt, ſed eandem rationem quam noctu planè videntes, eandem cauſam ſortiuntur, niſi quod ſpiritus impetu ruentes ad anteriora cerebri, his ad proceſſus mamillares indeq; ad nares: illis ad opticos neruos indeq; ad oculos influunt.* 2.

CAPVT VI.

De cauſis & effectibus tum

ambulationis in ſomno, tum aliarum actionum voluntariarum in dormientibus.

Ariſtotelis & Galeni conſenſus in inueſtigatione ex cauſis rerum.
Lib. 1. phyſicarum auſcul.
Lib. 2. de vſu partiũ.

PRaeclarè Ariſtoteles dixit: Tunc vnamquamq; rem ſcire putamus, cum cauſas eius vſq; ad prima principia cognouerimus. Neq; medici haſce prætermittunt. Quã ob cauſam Galenus ſcriptum reliquit: Quicunq; ratione corpus noſtrum curaturus eſt, is cauſas actionũ cognouiſſe debet, deinde modum, ſecundum quẽ actio fiat, & locos, in quibus: & inſtrumenta, per quæ. Sed hoc opus, hic labor, vel quod non rarò nos quædã lateant, vel quia etiam naturales tum philoſophi tum etiã medici diſſentiant, & rationibus vtraq; ex parte probabilibus digladientur. Nihilominus cum non arrogantia nec inuidia, nec cupiditate obtrectandi, ſed veritatis ſtudio haſce abſtruſas cauſas quàm veriſsimè indagare & demonſtrare, perquam velim, omnes ſanæ mentis huic quoq; doctrinæ veniam dabunt, & in ſui vſum bene tradita rectè accipient.

Philo-

Philoſophi ſanè docent effectum cauſas συνθετικῶς ſequi, ἀναλυτικῶς præcedere. Ambulatio igitur atq; operatio dormientium eſt illis effectus in genere motus, vel eius tantum, vel eius ſimul cum ſenſu à naturalibus cauſis ortus. Motus verò is planè voluntarius exiſtit, quo homo corpus & partem corporis pro arbitrio ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, antrorſum, retrorſum, inq; orbem mouet.

Philoſophorum ſententia de motu noctambulonum.

Ambulatio & operatio noctambulonum eſt motus voluntarius.

Sunt qui de genere huius mòtus atq; operationis in noctambulonibus, an ex προαιρέσεως procedat ac volantate fiat, dubitant, ideo quod plerique noctambulones, neſcij eorum, quæ peregerint, ſint, ac obliuione in totum teneantur. Sed cauſa obliuionis hæc eſt, quod etſi anima imagines mente format, quarum cognitio βούλησιν, id eſt, appetitum voluntarium incitat, hic verò cerebri ſpiritus animales tanquam proxima inſtrumenta animæ commouet, vt veluti fulgur neruis verſus poſteriora cerebri, ad ſpinam dorſi nequaquam li-

Duorum de προαιρέσεως noctambulonum.

Refutatio.

Cauſa obliuionis in noctambulonibus.

ambulationis in ſomno, tum aliarum actionum voluntariarum in dormientibus.

Ariſtotelis & Galeni conſenſus in inueſtigatione ex cauſis rerum.

Lib. 1. phyſicarum auſcul.

Lib. 2. de vſu partiũ.

PRaeclarè Ariſtoteles dixit: Tunc vnamquamq; rem ſcire putamus, cum cauſas eius vſq; ad prima principia cognouerimus. Neq; medici haſce praetermittunt. Quã ob cauſam Galenus ſcriptum reliquit: Quicunq; ratione corpus noſtrum curaturus eſt, is cauſas actionũ cognouiſſe debet, deinde modum, ſecundum quẽ actio fiat, & locos, in quibus: & inſtrumenta, per quae. Sed hoc opus, hic labor, vel quod non rarò nos quaedã lateant, vel quia etiam naturales tum philoſophi tum etiã medici diſſentiant, & rationibus vtraq; ex parte probabilibus digladientur. Nihilominus cum non arrogantia nec inuidia, nec cupiditate obtrectandi, ſed veritatis ſtudio haſce abſtruſas cauſas quàm veriſsimè indagare & demonſtrare, perquam velim, omnes ſanae mentis huic quoq; doctrinae veniam dabunt, & in ſui vſum bene tradita rectè accipient.

Philo-

Philoſophi ſanè docent effectum cauſas συνθετικῶς ſequi, ἀναλυτικῶς precedere. Ambulatio igitur atq; operatio dormientium eſt illis effectus in genere motus, vel eius tantum, vel eius ſimul cum ſenſu à naturalibus cauſis ortus. Motus verò is planè voluntarius exiſtit, quo homo corpus & partem corporis pro arbitrio ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, antrorſum, retrorſum, inq; orbem mouet.

Philoſophorum ſententia de motu noctambulonum.

Ambulatio & operatio noctambulonum eſt motus voluntarius.

Sunt qui de genere huius mòtus atq; operationis in noctambulonibus, an ex προαιρέσεως procedat ac voluntate fiat, dubitant, ideo quod plerią; noctambulones, neſcij eorum, quæ peregerint, ſint, ac obliuione in totum teneantur. Sed cauſa obliuionis hæc eſt, quod etſi anima imagines mente format, quarum cognitio βούλησιν, id eſt, appetitum voluntarium incitat, hic verò cerebri ſpiritus animales tanquam proxima inſtrumenta animæ commouet, vt veluti fulgur neruis verſus poſteriora cerebri, ad ſpinam dorſi nequaquam li-

Duorum de προαιρέσεως noctambulonum.

Refutatio.

Cauſa obliuionis in noctambulonibus.

quore ſomni oppletis ſubitò influant, hominem ſurgere, ambulare & varia opera peragere, faciant: tamen tota mente non adeò vehementer hiſce actionibus intenta eſt, ſed obſcuriorem earum impreſſionem molitur, ideoq; plane horum oblitus quis, neſcit quid egerit. Raro accidere ſolet, vt maior impreſſio menti fiat, atq; tum quaſi per ſomnium, nec tamen ſatis recordetur: Mens enim, ſi inſignes rerum impreſſiones in imaginationibus acceperit, conſeruat perpetuò, atq; memoria tenet: Sin minus, contrà.

Cauſa noctambulationis quaſi per ſomniũ.

Cauſa firmæ memoriæ.

Cauſæ obliuionis in mortalibus.

Experientia quoq; teſtatur multos homines in vigilijs egiſſe actiones quaſdam, quarum paulò poſt ſunt penitus obliti: Alium per occupationes varias, alium per ebrietatem, alium per metum, alium per phreneſin & ſimilia. Nulla autem de cauſa, quàm quod horum, quibus mentem vel totam valde vel maxima ex parte adhibemus, recordamur, illorum, quibus ſegnius vel parum vel minima ex parte, penitus obli-

1. Occupationes variæ.
2. Ebrietas.
3 Metus.
4 Phreneſis.

Declaratio cauſarum quæ fit exemplis.

obliuiſcimur. Quorum verò obliti ſumus, hæc ne acta quidem fuiſſe putamus. Itaq; vnus vigilantium multa ſimul agit occupatiſsimus, ſed non omnibus æquè intentus horum, circa quæ ratio accuratè meditatur, & tota ferè eſt occupata, planè meminit, illorum circa quæ parua mentis pars eſt occupata, ſi vel ſpontaneo motu facta ſint, prorſus obliuiſcitur, ac ne facta quidem eſſe, ſi in memoriam alij reuocent, concedit. I. Occupatiſſimi obliuio.

264

Alter ebrius modò omnia ſegnius temereq; agit, omniumq; obliuiſcitur: modò vni actioni valde intentus eſt, eiusq; meminit, alia, quæ luxuriando incautius egerit, nec reminiſcitur, nec acta putat. Tertius magno & ſubito metu, tempore incendij vel fugæ conſternatus aliquid ſecũ aufert neſcius. Quartus in phreneſi mente errat, & aliquem centies ad ſe vocat, cum eo loquitur & multa agit, ſed quia mens non rectè valet, nec ſatis intenta eſt, vbi conualuerit, omnium neſcius viuit. Nihil igitur mirum in ſomno quoq; ambulanti- II. Ebrij obliuio. III. Meticuloſi obliuio. IV. Phrenetici obliuio.

 bus

bus ambulationis & aliorum operum obliuionem tantam ſequi, vt ne facta quidem putent eò: quod mens licet agat, tamen deprauatè non abſq; errore quodam agit, neq; cum ſatis vehementi impreſſione ad ambulandum & peragendum incitatur.

Subiectum noctambulationis.

Cauſæ omnium rerum naturalium philoſophis quatuor enumerantur: Materia, forma, efficiens & finis. Materia in qua, ſcilicet ſubiectum, non eſt quoduis corpus humanum: ſed illud tantum, cui peculiaris aptitudo non tantum ad facilè mouendum, eleuandum & ſcandendum, ſed etiam ad profundiorem ſomnum pro ratione complexionis ſuæ conceſſa eſt. Tale eſt corpus humanum inæqualis complexionis maxima ex parte calidæ & ſiccæ, vulgò cholericæ dictæ, quod feruentis ſanguinis atq; ſpirituum ſubtiliorum eorumq; multorum copia abundat, inq; ætate vel puerili, vel adoleſcentum, vel florenti conſiſtit, vt ab his corpus, ſiue vigilet, ſiue dormiat, pondere leuius ſit, inprimis verò

Noctambulones qui?

Complexio noctambulonum inæqualis.

in

in ſomno æſtuante ſanguine ac ſpiritibus corpus, manus, pedesq; alleuientur, plerunq; etiam parua ſtatura, in qua vis ſpirituum vnita fortior manet. Deniq; animus audax, feruidus, & ſua natura temerarius euadat: Minima ex parte ſcilicet cerebro, aut frigidioris aut humidioris, aut vtriuſq; ſimul, in qua pituitoſum in intima cerebri & ſuperficiem quorundam muſculorum ac meatus neruorum, influit, vt ſomnus multò profundior quàm in alijs hominibus fiat, quidam muſculi, vt palpebrarum, ac nerui optici in oculis & alijs quibuſdam repleantur, torpeſcant, & dormiendó quieſcant, vtut aliæ corporis partes varia peragant.

Neq; ignoro, Petrum Salium & Cœlium, melancholicum habitum planè contrarium huic noſtro cholerico hiſce ambulonibus adſignare. Sed quis dicat corpora melancholica ſemper grauiora, omnibus alijs hominibus leuiora eſſe, ideoq; in ſomnò, & à feruore ſanguinis ſpirituumq; facilius attolli ad

Salij & Cœlij ſententia noctambulones eſſe melancholicos: Refutatio. Ratio 16.

ad ſurgendum ambulandumq́? Rectius
2. *calidis & ſiccis vel cholericis tribuitur*
ſpirituumq́ copia maior & celerior,
3. *quàm melancholicis. Poſtremò audacia & temeritas conandi & audendi aliquid inſolitum magnumq́, non hiſce, qui ſemper metuunt tardantq́, ſed illis, ineſt. Nec ipſe Salius in curatione horum à nobis diſſentit, vbi primam curatiuam indicationem huius morbi rectè ſtatuit, nimirum ſpirituum ſubtilitatem corrigendam incraſſantibus: Humores ſanguinis ſubtiliores, è quibus illi gignuntur, craſſiores reddendos eſſe. Rurſus etiam multò magis cum hoc malum tollere vult, & materiam auxiliorum præſcribit, qua iuuentur & corrigantur, bubulam carnem, leporinam, caſeos, caſtaneas, &c. nonne contraria contrarijs curantur, & vbi morbo medetur frigidum, is calidus ſit, neceſſe eſt?*
Experientia. *atq; noctambulones ipſe vidi calidos & ſiccos, præterquam quod humidi cerebri eſſent. Videor videre quæ viros doctiſſimos Cælium & Salium in hanc ſenten-*

tentiam adduxerunt, nimirum quod nulla ambulatio neq; operatio voluntaria in ſomno fiat, niſi fortis imaginatio alicuius rei, quam noctambulones inſtituunt, præceſſerit: Nemo verò plura meditetur & mentem quaſi intendat, atq; varias imaginationes animo concipiat, quàm melancholicus; facilè concedo in vigilantibus verum eſſe hoc de Melancholicis. Nam cum cerebrum eorum ſit frigidæ & ſiccæ naturæ, ſpiritus animales ſubtiliores & puriores redduntur. Deinde etiam conſtantiores, vt animi concepta tenacius teneant & exequantur, ſed tamē pauci ſunt ſomni & facilè expergeſiunt, vt in ſomno ambulare & varia operari non poſſint. Deinde cur calidi & ſicci feruentes ſpiritibus non æquè varias imaginationes easq; ſatis audaces formarent, niſi quod hi non adeò diu atq; illi retineant, ſed tamen ad aliquod tempus & tanto magis ſi inæqualis complexio fuerit, atq; cerebrum humidius ſpiritus feruentes temperet, & ſomnum multum atq; profun-

fun-

fundum afferat. Non igitur omnes homines noctambulones eſſe poſſunt, ſed hi tantum qui ſunt inæqualis complexionis & quamdiu tales manſerint, ſicut enim in ætatibus decurſu aliquot annorum temperamentum cuiuſq; mutatur, ita in ijs noctambulatio incipit & deſinit.

Lemnij autoritas noctambulones non eſſe melancholicos ſed cholericos.

Lemnius igitur diuerſum ſcribit, ac nobiſcum quodammodo ſentit his verbis: Sunt iſtius conditionis homines raro laxoq́; corporis contextu ac molis exiguæ, ſed magna ſpiritus agilitate animoq́; feruido. Vnde euenit, vt ſi vel extremis manuum pedumq́; articulis prehendant aliquid, ſe librent ac fulciant, contactisq́; tabulatis adhæreſcant; ſimile enim quiddam ijs corporibus accidit, quod turbinatis illis dolijs, quæ apud Belgas Oceani oſtijs injciuntur, quò nautæ fidam ſtationem tutumq́; portum conſequantur, ac loca vadoſa ſcopuloſq́; latentes declinent. Illa ſiquidem licet ferreis laminis obducta ſint, catenisq́; reuincta ac ponderoſo ingentiq́;

ſaxo

ſaxo alligata, fluctuant tamen, ac mari innatant, nec niſi dehiſcant, in imum deuoluuntur: Quoniam ſpiritu ac flatibus aëreq́; copioſo adhibitis in eum vſum follibus oppleta ſunt: ſic iſti quoniam flatibus turgeſcunt, ac ſpiritu aëreo implentur, in ſublime rapiuntur, ac ſuſpenſo leniq́; gradu vt limaces ac cochleæ, quæ cum oculis carent protenſis cornibus prætentant iter, editiſsima quæq; perreptant, nocturnasq́; ambulationes perficiunt.

Quare corpora noctambulonum reuera illa ſunt, quæ inæqualis complexionis in principalibus membris exiſtunt, hoc eſt, quæ cerebrum vel frigidum vel humidum, vel frigidum & humidum ſimul habent, cor verò & hepar, quorum conſtitutionem omnes aliæ corporis partes, excepto cerebro, ſequuntur, calidiora & ſicciora, ſanguinem æſtuantem, ſpiritus ſubtiliores & agiles, deniq; habitum corporis maxima ex parte rariorem ac leuioris ponderis. Nam ſi æqualiter & valde calida Corpora diſpoſita ad noctambulationem.

atq; ſicca totius complexio eſſet, bilis abundaret, habitus corporis vbiq; ſubtilior, rarior ac leuioris ponderis eſſet, isq; magno exceſſu ad morboſam vſq; noxam, vnde nunquam profundè dormirent, ſed potius peruigiles ſemper forent, imò anima ac calore in ſomno efferueſcente, ac ad varia opera excitata, expergefierent ſtatim.

Materia per quam in noctambulatione.

Inſtrumenta.

Materia, per quam fiunt hæ ambulationes & operationes in ſomno, ſunt organa vel inſtrumenta ſenſus motusq; voluntarij, non quidem omnia totius corporis, cum quidam muſculi, nerui aliaq; eius partes ferientur, ſed propria harum actionum corporearum. Animæ actiones aliæ ſunt incorporeæ, aliæ corporeæ: Incorporeæ duæ, mens & voluntas, quæ organis non egent. Igitur antequam in ſomno per organa operetur, mens imaginatur ſibi aliquid, & intellectu ſuo vel cognitione ſtatuit ſecum eſſe perficiendum; voluntarius appetitus, qui cognitionem ſequitur, incitat ſpiritus cerebri, tanquam proxima ani-

I. Incorporea.

1. Mens.

2. Voluntarius appetitus.

animæ inſtrumenta: poſtea per corporea organa reliqua perficit. Cerebrum enim organum animæ corporeum, & ſomno profundiori & varijs actionibus noctambulonum ſeruit. Ad animæ quidem actiones perficiendas in ſenſu motuq́; vtitur ſpiritu animali in cerebri ventriculis genito, poſteaquam in neruos, & totum corpus ſubitò influit (incredibilis enim horum eſt celeritas) communia quidem ſenſus & motus organa ſunt cerebrum, ſpinæ medulla: peculiaria cuiuſq; partis in motu muſculi, oſſa eorumq́; articuli & cartilagines, inter quæ muſculi manent primaria in ſua quaq; parte.

II. Corporea cerebrũ.

Spiritus animalis.

Muſculi & alia organa motus.

Cætera quidem motum per ſe non efficiunt, abſq; ijs tamen pars moueri nequit. Ad ſomnum verò profundiorem horum noctambulonum, fruitur vaporibus ex imo corpore in caput aſcendentibus, & ibi frigiditate cerebri condenſatis, vt tum in cerebro meatus opticorum neruorum & ſimilium, qui in noctambulonibus ab omni actione quie-

Profundioris ſomni ratio.

ſcunt & feriantur, repleantur, obſtruã-turq́, tùm etiam iterum liquores deſtillantes in intimam ſuperficiem, humectent ac ſomno ſtupefaciant.

Forma noctambulationis duplex. *Forma rurſus duplex eſt; vna ſomni deprauata ratio, quæ nihil aliud eſt,*

I. Mixtio ex ſomno & vigilia. *quàm mixtio ex ſomno & vigilia. Aliæ enim corporis partes ſomno oppreſſæ quieſcunt, aliæ vigilantium more operantur:*

II. Deprauata vis operationis. *Altera, ambulationis in ſomno & variarum actionum noctambulonum eſt ipſa vis & facultas ſurgendi, ambulandi ac varia perficiendi, quæ in ipſius organi complexione & partium ſymmetria conſiſtit, & ab influente ſpiritu ſubtiliſſimo atq; dilucido excitata & in effectum deducta.*

Efficiens duplex. *Efficiens principium huius ambula-*

1. Incorporeum, Anima. *tionis in ſomno quoq; duplex eſt, vnum incorporeũ, nimirum anima tum mente ac ratione ſecum ratiocinans, & formans imagines, vnde ſibi hoc vel illud facturum proponit: tum etiam voluntario appetitu, qui ſequitur illam & ad conatus incitat, efferueſcens. Alterum*

corpo-

corporeum, quod inſtrumenti rationem habet. Eſt autem, vt antea dictum, cerebrum, in quo & ſentiendi, & mouendi facultas conſiſtit, quarum vtraque ſpiritu vecta per ſpinæ medullam & neruos in eas tantum partes, quibus noctambulonibus mouendis ſentiendisq́; ad ſuas actiones opus eſt, quàm celerrimè inſidit. De priori philoſophi magis quàm medici cogitationem ſuſcipiunt. Etſi enim medici à philoſophia exordiuntur, eamq́; poteſtate, vt Galeni verbis vtar, medicinam eſſe fatentur, imò etiam ſciunt animam hominis eſſe aliud quid quàm temperamentum corporeum, quod ipſi formam corporis ſtatuunt: tamen, cum animæ mederi nequeant, ſed aut Theologis aut moralibus philoſophis permittant, corporis tantùm naturam & corpoream formam, cui remedia inueniũt, atq; dextro vſu adhibent, rimantur. Nihilominus tamen alicubi etiam dignam animæ mentionem faciunt, vt Hippoc. Etenim anima, dum vigilat, atq; corpori vires adminiſtrat,

Corporeũ, Cerebrum.

Philoſophia eſt poteſtate medicina.

Lib. 1. Method. medendi.

Anima hominis aliud quàm temperamentum.

Animæ opera in vigilante.

Lib. de inſom.

in multa diſpertita loca, nequaquam vacat ſibi: ſed ſingulis corporis functionibus intenta eſt. Quippe ipſis ſenſibus, auditui, viſui, tactui, ambulationi, actioni: omni deniq; cogitationi, ipſa verò pro ſe nihil agit. Cum verò quieſcit corpus, illa mouetur: atq; egrediens è corporis partibus, ſuo domicilio continetur: ibi omnibus illius fungitur officijs. Corpus enim ſomno captum nihil ſentit: At ipſa vigilans cognoſcit, videnda videt, audienda audit, vádit, tangit, mœret, temporis momento ratiocinatur: ibiq́; in ſomnis tum ſua, tum corporis obit munera omnia. Itaq; ſubinde præſupponatur, animæ facultatem imaginatiuam rerum idola repræſentare dormientibus, ſpiritus corporis ciere, & ad ſurgendum, ambulandumq́;, operaq́; peragenda impellere, atq; quædam membra excitare, alijs adhuc ſomno profundo oppreſſis, deniq; animam ſua mente ac vi incorporea, multa agere ac perficere: Non tamen adeo vehementem impreſſionem mentis, ſed potius obſcu-

Animæ opera in dormiente.

Modus effectionis in noctambulatione per principia incorporea & corporea.

Impreſſio mentis in noctambulonibus eſt obſcurior.

obſcuram accidere, teſtantur. 1. Quod Rationes duæ.
memoria hæc non conſeruant, omni- 1.
umq́; ferè obliti ne factum quidem putant. 2. Quod ſi tota mente acrius hiſ- 2.
ce incumberent totum hominem vigilem redderet, omnesq́; ſenſus excitaret, vt in valde ſolicitis de ſurgendo ad rem neceſſariam media nocte perficiendam, qui recordantur, & ea hora, cuius impreſſionem magnam fecerunt, expergeſiunt, videre licet. De poſteriori medici id, quod phyſici philoſophi inceperunt, ac poteſtate ſcripſerunt, reipſa perficiunt, actuq́; diligentiſſimè docent, ita vt nec externas cauſas efficientes omittant, de quibus infra.

Finis huius ambulationis & aliarum Finis noctambulationis.
actionum in ſomno procul dubio eſt, vt animæ cogitanti in ſomno ſibi quid peculiare idq́; προαιρέσει proponenti, ſatis fiat. Sed quia hæc vtilitas, neq; ad ſui conſeruationem, ſed ſæpius ad damnum atque incommodum, neque ad variarum rerum cognitionem acquirendam pertinet, mens hominis errat, atque

res & erroris & periculi plena eſt.

Medicorum finis in conſideratione noctambulonum.

Medici cum alia omnia, tum verò maximè conſiderationem effectus huius & cauſarum ad finem praxeos, hoc eſt, corporis ſanitatem vel præſentem tuendam, vel imbecilliorem præſeruandam, vel abſentem curatione morborũ reſtituendam accommodant, multoq́ accuratius, quæ corporis humani ſunt, enucleant, ab effectu analyticè progreſſi, ita vt affectum prius, dein corpora, cauſas & ſigna cognoſcant, poſterius cognitioni ſufficienti operationem conuenientem adiungant.

Noctambulonum ambulatio eſt ſymptoma actionis animalis cerebri læſæ.

Qua ratione noctambulonum ambulatio, quæ plerunq; fit clauſis oculis & viſu oculorum quieſcente, atq; effectio variorum operum, quæ nullo vſui, ſed potius detrimento venit, eſt ſymptoma actionis animalis cerebri læſæ. Et cum

Galen. de differentijs ſymptomatum.

Noctambulatio eſt actio deprauata.

huius tria genera ſint, aut abolitæ, aut diminutæ, aut deprauatæ: ſub hac tertia intelliguntur omnes actiones, quæ non ritè nec eo modo, quo debent, fiunt, imò etiam nimis inauctæ ſunt, ideoq́ etiam

etiam hæc mixta ex ſomno & vigilia, in qua nec rectè omnia corporis membra, vt debebant, dormiunt, nec ea, quæ tam varia in ſomno perficiuntur, ritè, vt decet, agantur. Etſi enim actiones noctambulonum ſunt partim motiuæ de loco in locum, partim ſenſitiuæ, dum palpando tangunt, diſcernunt, variaq́; opera perficiunt: tamen cum à vigilante, non à dormiente fieri deberent, non ritè nec eo modo, quo debent, peraguntur. Deinde cum ſenſus omnes ambulatio effectioq́; operum requirant, in hiſce & viſus & auditus, quia non facilè nec niſi valde commoti, vel proprio nomine appellati audiunt, & alij plures deſunt. Poſtremo temeritate agendorum efficiendorumq́;, ſeſe in pericula, nec rarò in maxima damna conijciunt.

Actio noctambulonum motiua deprauata.

Senſitiua noctambulonum deprauata.

Nihil nobis etiam obſtat, quod vel quædam actio aut apprehenſio vehemens manuum digitorumq́; inaucta magis videatur, cum & hæc actio medicis deprauata dicatur, atq; ſubinde

Inaucta actio dicitur medicis deprauata.

in his aliquid deprauati, ex vigilia & ſomno mixtum deprehendatur: vel nonnulli medici celeberrimi ex recentioribus in quibusdam diſſentiunt.

Sententiæ variæ autorum de noctambulatione.

Lib. 2. de occult. naturæ miracul. cap. 5.

1. Lemnij ſententia.

Leuinus Lemnius, quem propter pietatem ſingularem & ſummam eruditionem magni ſemper feci, ſcribit, haſce actiones vi ac facultate naturali perfici, vbi dicit: Cæterum cùm iſta obeunt, ſi illos nota agnitaq; voce, aut eo nomine, quo Chriſtianiſmo ſunt inſigniti ac baptiſmo initiati, compellare pergas, ex conſternatione incuſſoq; terrore, ac perturbatione decidunt, diſſipatis ſcilicet ſpiritibus, diſcuſſaq́; vi ac facultate naturali, qua illa perfecerunt. Hæc ille. Sicuti verò triplices ſunt in homine facultates iuxta medicos. I. Naturales, vt hepatis & venarum aut etiam ſingularum partium, quibus nutrimur, augemur, & generamus alios. II. Vitales, vt cordis arteriarumq;, quibus viuimus, atq; in affectus animi incitamur. III. Animales, vt cerebri & neruorum, quibus de loco in locum mouemur,

Facultates in homine tres.

I. Naturalis.

II. Vitalis.

III. Animalis.

uemur, ſentimus, imaginamur, cogitamus, & recordamur: Ita totidem quoque actiones numerantur naturales, vitales, & animales, quarum hæ non modo principes, nimirum imaginatiuam, ratiocinatricem, & memoriam, ſed etiam ſenſitiuam & motiuam comprehendunt. Itaq; ſi animalis vis ambulationem perficit, vt modo dictum eſt, nullo modo naturalis. Sed noſter Lemnius facilè nobiſcum conciliari poteſt. Naturale alio modo in genere, alio modo in ſpecie dicitur. Naturale in genere eſt phyſicum quoduis, ad differentiam diuinorum, quemadmodum hoc in loco Lemnius cum naturali vi ac facultate hac opera ambulonum perfici ſcribit, intelligit, ac vult phyſica vi, non diuina fieri, vel merè miraculoſa. Naturale in ſpecie, de naturali facultate aut actione longè diuerſa ab animali ſonat, quam Lemnius non ſtatuit. Nam in ſequentibus ibidem docet, huiuſmodi noctambulorum opera ab animali cerebri facultate atq; actione, imò etiam

Actiones hominis tres totidem.

Obiectio.

Refutatio.

ab animali ſpiritu ſponte, hoc eſt, voluntario motu, perfici; diſputare quidem ibidem vlterius paulò aliter alicui videretur his verbis: Contrario modo afficiuntur ambulones noſtri; illi ſiquidem clauſis oculis in tenebris dimicant, ac ſtrepitu tumultuq́ omnia complent, nonnunquam ſilentes ſurſum deorſumq́ rapiuntur, ac nullo fulti adminiculo ſumma tectorum faſtigia aſcenſu ſuperant: quæ ab ijs fieri perſuaſum habeo, ex ſanguine turgido ac ſpumanti, tum æſtuoſo feruidoq́ ſpiritu, quæ in mentis ſedem delata, animæ vim ac facultatem, qua functiones ſuas perficit, parteſq́ inſtrumentarias ad actiones impellit, agitant, atq́ ad huiuſmodi motus effectuſq́ concitant. Quo fit, vt corpus ſpiritus animalis impulſu, qui neruorum ac muſculorum robur, hoc eſt, ſentiendi mouendiq́ munus in cerebro continet, ac tuetur, in ſublime feratur, eiuſq́ vi etiam per ſomnum ad tales actiones incitetur. Hæc ille. Quibus noſter Lemnius tantum de ſubiecti

Declaratio textus Lemnij.

apti-

 273

aptitudine, in qua animales actiones voluntariaq́; motiones rectius fiunt, eruditè diſſerit atque innuit corporum ſubtilitatem & leuitatem, ſpirituum copiam, ac ſanguinis turgentem ſtatum cauſam eſſe, noſtræ ſententiæ in hiſce non refragatur, ſed potius ſubſcribit.

Petrus Salius Diuerſus medicus noſtri ſeculi elegantiſſimus, & de re literaria medica monumentis ſuis præclaris editis bene meritus, lib. de affect. particul. cap. 18. contrariũ magis affirmat, nimirum affectiones haſce dormientiũ, qui vigilantium munia obeunt, non eſſe morbos, vbi dixit: Quos curabimus, non quia hæ affectiones ſint morbi, vel quia ab his malum aliquid ſimpliciter immineat, ſed quia hi dormiendo poſſent ex inſomnijs ad præcipitia deduci, vel ad aliqua peragenda concitari, ex quibus vel mortem incautè ac inconſideratè ſibi conſciſcerent, vel alijs inferrent, &c. Quæ ſi ita ſe habeant, effectus harum affectionum, ſcilicet in ſomno ſur-

II. Salij ſententia.

ſurgere & ambulare, & ſimul profundè dormire, non ſunt ſymptomata, ſed opera naturæ, quæ in commodum corpori cedunt. Nihil enim eſt tertium, teſte Galeno, præſertim cum neutrarum conſtitutionum & morboſarum affectionum accidentia, ſub ſymptomatis nomine ibi ſubintelligat, ſed dormientes è lecto ſurgunt, ambulant & varia peragunt, ita vt non decet, nec vt videant, & ſenſus vtiles neceſſarioſq́; rebus agendis adhibeant. Non igitur ſunt opera naturæ, nec corpori in commodum, ſed potius ad noxam cedunt. Quas ob cauſas manent ſymptomata deprauatæ actionis animalis, quod contingunt præter naturam, & ſunt affectus, qui ſequuntur inſalubrem ac præternaturalem corporis conſtitutionem, aut etiam

De differ. ſympt.

II. *morboſam. Deinde quoties Salius noſter in eodem capite ſcribit de curatione horum; & hoſce ambulones patientes vocat, dicit eos conſulere medicos, imò ſeipſum ad curandos eos accerſitum eſſe, quæ omnia nulli niſi morboſæ affectioni*

274

ctioni vel ægris competunt. Neutiquam igitur in ſententiam Salij ire poſſum, ſed potius vt antè, dormientes è lecto ſurgere, in ſomno ambulare, parietes & tegmina aſcendere, aliaq́ varia perficere, ſtatuo eſſe effectus, qui à morboſa conſtitutione aut affectione corporis, qua tunc ille homo præter naturam afficitur, proueniunt, & medicis propriè ſymptomata dicuntur.

Accidit hiſce ambulonibus interdum, vt de illicitis & periculoſis hiſce ambulationibus & operationibus communefacti terrore afficiantur, atq; melancholici reddantur. Itaq; conſultius duco, eis parum vel nihil de peractis dici. Hoc ſymptoma non per ſe, ſed per accidens, nec omnibus contingit, atq; ex illo altero iam explicato oritur. De melancholia quæ quibuſdam ambulonibus accidit.

CAPVT VII.

De ratione cognoſcendi penitius eos, qui ad noctambulationem diſpoſiti ſunt.

Sed

Affectus corporis cauſa noctambulationis eſt inæqualis cōplexio cerebri frigidioris & humidioris, cordis & hepatis calidior. ſicciorisq́;.

SEd cum non actionibus deprauatis, nec ſymptomatibus, quæ cauſa ſublata veluti vmbræ euaneſcunt, ſed potius affectui corporis, à quo proficiſcuntur, medeamur: Affectus corporis, à quo & profundior ſomnus & actiones deprauatæ huiuſmodi mouendi, ſentiendiq́; ſicq́; aliquid mixtum ex ſomno & vigilia, naſcuntur, eſt intemperies inæqualis corporis humani cum materia & pituita & bile, in qua principales eius partes, ſcilicet cerebrum, cor & hepar inæqualiter ſeſe habent, exceſſu tã magno, vt tunc homo vna ex parte nimis profundè dormiat, ex altera intempeſtiuè ſurgat, ambulet, parietes & tegmina perreptet, imò etiam varia opera peragat.

Duplex intemperies partis corporis.

Porro inæqualem intemperiem partium corporis eſſe duplicem cōſtat: Vnam, in qua partes minus principales inæqualiter ſeſe habent; alteram, in qua principales corporis partes: & rurſus hanc, quæ in noctambulonibus inuenitur, eam eſſe, quæ cerebri ſit vel frigidioris vel humidioris, vel vtriuſq́;: cor-

cordis verò & hepatis ſimul calidioris ſicciorisq́. Fieri autem poteſt, vt hæc intemperies aliquando magis, aliquando minus excedat: quorum hæc neutrius conſtitutionis hominem quidem diſpoſitum aptumq́, ad hunc morbum & paroxyſmum reddit, debilior enim multo eſt, quàm vt illud mixtum ex ſomno & vigilia ac haſce deprauatas actiones quietemq́, ſecum actu adferat, niſi magis augeatur. Illa verò in magno exceſſu, reuera nihil aliud, quàm morboſa conſtitutio tum, cum & ſomnus profundior nimis adauctus eſt, & actiones deprauatæ dormientium ſtatim noxam ſecum manifeſtam trahunt, & eo tempore complures cauſæ eæq́, ſufficientes coierunt, atq́, hominem præter naturã in ſomno noctambulonẽ effecerunt. Adderẽ hoc queq́, homines calidiores in quib. humiditas & ſiccitas temperata eſt, excepto cerebro, vel calidiores & humidiores plus iuſto, huic malo obnoxios eſſe. Eſt igitur morbus inæqualis intemperiei & cerebri excedẽtis

vel

Alia differentia huius inæqualis complexionis.

I. Neutrius conſtitutionis inæqualitas tantum aptitudinẽ affert.

II. Morboſa inæqualitas q̃ actu ſecum affert noctambulationem.

Morbus noctambulonum. *vel frigiditate vel humiditate nimia: & cordis hepatisq́; calidioris vel ſiccioris plus iuſto ad noxam vſq;, vnde ſanguis æſtuans & ſpiritus turgens animusq́; feruidus, quibuſdam partibus corporis ſomno oppreſsis, mirificè operatur.*

Cauſæ morbi noctambulonum externæ. 1. Aër. *Cauſæ huius morbi, aliæ ſunt externæ, aliæ internæ. Externæ ſunt, primò aër humidior præcedentis diei, vel intempeſta nox iſtius ſomno oppreſsi profundiori, præſertim cum interdiu multum peregrinatus fuerit, vel noctu illum liberius maiorıq́; noxa ad cubiculum & lectum vſq; admiſerit. Cuius rei exemplum noctambulo huius anni & loci, ſuperiori menſe circa plenilunium, & valde intempeſta nocte præbuit.*

2. Cibi & potus. *Secunda. Cibi potusq́; vel ſomnum profundiorem adiuuantes, vel calorem feruoremq́; cordis ac hepatis adaugentes. Prioris generis ſunt: iuſcula cereuiſiæ multo crebriora, ſemina papaueris albi, iuſcula ex his, lactuca veſperi in cœna largius ſumpta, vinum nouum, dulce, craſſum. Poſterioris generis ſunt,*

cibi

cibi multi aſſati, ijq́; iuſto vehementius ſaliti, aromata, oui vitellum ſine albumine, vina generoſa, inprimisq́; maluaticum. Tertiò. Vigilia præcedens multa, vt exemplo Galeni dormiendo peregrinantis accepimus. Somnus autem poſt cibum ſtatim, quia inde profundior redditur. Quartò, motus & exercitatio vehemens, vel quod defatigatio ſomnum profundiorem conciliat, vel quia etiam ſpiritus humoresq́; alios in calida & ſicca complexione tales præexiſtentes magis æſtuantes reddit. Quintò, obſtructio alui & viſcerum. Sextò, affectus animi concitatiores, effrenes, quales ſolent eſſe cholericorum, audaces ſimul & temerarij, quo refertur imaginatiua fortior, licet magis ad animam eiusq́; mores atque eorum moderatores, quàm ad corpus & medicos, qui corporis curam gerunt, pertinet.

III. Vigilia & ſomnus.

IV. Motus.

V. Obſtructio alui & viſcerum.

VI. Affectus animi.

Internæ cauſæ in noctambulonibus continentes & immediatæ, ſunt affectus ipſe vel morbus, ſcilic. intemperies

Internæ cauſæ. Continentes.

inæqualis, tum cerebri frigidioris humidioriſúe, tum etiam omnium aliarũ partium corporis calidiorum. Antecedentes verò cauſæ internæ huius deteſtandi affectus ſunt pituita & bilis: pituita intemperiem cerebri talem reddit ac ſomnum auget: bilis efferueſcentiam ſanguinis & ebullitionem ſpirituum, imò etiam ſubtilitatem ſpirituum animalium cerebri gignit. Vnde, niſi cerebrum ſimul valde frigidum vel humidum exiſteret, peruigilem prorſus hominem efficeret, ac magis phreneticum quàm noctambulonem.

Antecedentes.

Signa διαγνωστικά.
I.
Ab actione læſa.

Signa huius affectus ſumuntur primum ab actione læſa, quando hominem talem non ritè ambulantem, nec prout debet, agentem varia vident. Vix dici poteſt quomodo familiæ hæc vitia corporis diſsimulent atq; occultare cupiant, vt noctambulones multò plures noſtra opinione eſſe, mihi perſuadeam. Dum hæc quæ publicè tribus prælectionibus in Academia noſtra docui, ſcribendo magis elaborarem, duo rurſus exempla in

vna

vna ſeptimana mihi occurrunt, vnum virginis in familia patricia vrbis celebrioris: Alterum vxoris clariſsimi cuiuſdam viri. Virginem frater, qui mihi ipſe retulit, noctu cum in amplo cubiculo lumina ex remotiori parte arderent, vidit de lecto ſuo ſurgentem, ambulantem, clauſis oculis, & quidem veluti ebriam, modo huc, modo illuc inter eundum nutantem, ad candelam ardentem accedentem, ex afflatu ſui oris hanc extinguentem ac digitis prioribus planè delentem, atq; ad lectum redeuntem. Mane à fratre virgo interrogata, cur noctu talia peregiſſet, nihil horum ſciuit. Deinde ab affectibus ſenſu perceptibilibus, vt ſi vel vocem alicuius hominis in tenebris audiamus, huius memores ſimus, vel in lecto ſolitum non videamus, & ſimilia. Tertiò ab excrementis, ſi faciem magis bilem petere deprehendamus, circa caput omnia tumida & rubicunda aut flaua exiſtant. ἀναμνηστικὸν nullum niſi hoc inuenio, quod Lemnius ſcribit: Homines

II. Ab affectibus ſenſu perceptibilibus.

III. Ab excrementis.

Signa ἀναμνηστικά.

Prognoſ. *vltro citroq́ diſcurſantes miráq́ vſos geſtibus, quos ex oculis deprehendere licet, ex vultu, inceſſu, veſtitu, totoq́ corporis habitu, quorum ſingula varijs modis componunt, atq́ immutant, aliamq́ perſonam ſubinde ſibi aſciſcunt, & ad hoſce affectus magis diſpoſitos eſſe* Signa προγνωστικά. *atq́ huiuſmodi fore. Prognoſticum illud eſto: ætate mutari.*

Capvt VIII.
De ratione præſeruandi hoſce corporis affectus.

Medici finis ſanitas. *Medicus cum ſibi ſemper ſanitatem non tam ſuam, quàm aliorum hominum, tanquam finem, propoſitam habet, & ad eam contendit, ſolerti arte o-* Medici operatio dicitur θεραπευτική. *mnem operationem communi nomine medicis θεραπευτικὴν dictam inſtituit. Hæc verò pro diuerſitate vitioſi affectus* Eius differentiæ. *huius duplex eſt, vna προφυλακτικὴ,* 1. προφυλακτική. *hoc eſt, præſeruatiua, quæ verſatur circa habitum corporis introrſum ad hunc morbum diſpoſitum, corrigendo auertendo-*

278

tendoq́; cauſas huius mali, ne quando ingraueſcant & noctambulationẽ magno eum periculo noxaq́; gignant: altera θεραπευτικὴ ſpecialis, hoc eſt, curatiua, quæ circa affectum iam præſentem & exaſperatum reipſa verſatur, de quarum illa prius, niſi quod initio hoc refutabo; huius mali nullam nec præſeruatiuam nec curatiuam tradi poſſe, in quam ſententiam multi iuerunt, cum nihil de iis ſcriptum meminerint. Sed cur non inſtitui vtiliter doctrina de his queat? II. θεραπευτική.

Affectus ſanè corporis, quo ad hoc malum diſpoſitum eſt, vitioſa ſanitas exiſtit. Eſt enim intemperies principalium membrorum corporis cum materia peccante pituita & bile nimium excedens. Minor ſanè eſt in neutra conſtitutione quàm vt ſemper in actum prodeat, noctu ſurgat & ambulet, ſed tamen ſemper diſpoſita eſt ad hoc maium. Latet aliquandiu, ſed vbi augetur, in actum deducitur, alias corporis actiones, vt ſenſum videndi audiendiq́; Vitioſa ſanitas noctambulonum.

 abolet,

aboleť, alias inauctas ad admirationem vſq., vt apprehenſiones, aſcenſiones & ſimiles deprauat. Nónne conſtitutio corporis huiuſmodi correctione κα]ὰ μικρὰ eget? Nónne intemperies alterari ſenſim poteſt vel debet? nónne humores peccantes, ſcilicet pituitam in cerebro & bilem in cæteris partibus totius corporis, euacuare licet?

προφυλακτικῆς neceſſitas.

Curatiuæ neceſſitas.

Curatiuam quoq. mali iam præſentis tanquam morboſi affectus, nónne homines expetunt? Præclarè Salius vir omni laude dignus, curatiuam ſcribere inſtituit: ac vt taceam noſtra medica auxilia, nónne qui animæ affectus ſedarunt ac prudenter perturbarunt, id quod hiſtoriæ enarratæ teſtabantur, ad hoc malo noctambulones liberârunt? Conſtat igitur huius mali & præſeruatiuam & curatiuam rectè tradi.

Neutra conſtitutio noctambulonum.

Conſtitutio verò corporis vel diſpoſitio, quouis modo quis appellet, præſeruanda in hiſce hominibus, eſt neutra, hoc eſt, media inter ſanitatem & morbum: alicubi ſanitas vitioſa dicitur.

Eſt

Eſt verò ſtatus corporis, propter multum exceſſum qualitatum in intemperie inæquali principalium membrorum, cerebri, cordis & hepatis, imbecillior ad reſiſtendum cauſis externis, ideoq́; facilimè, ſi adhuc magis augeatur, in ſomno huic malo obnoxius.

Cauſæ eius duæ cum ſint, vna excedens qualitas humidior cerebri, vel etiã ſimul frigidior, unde ſomnus profundus: altera excedens qualitas calidior cordis & hepatis, ac ſpirituum calorisq́; natiui in alijs partibus, præterquam in cerebro & quibuſdam neruis ac muſculis, feruor æſtuans: neceſſe eſt cauſas ambas ſimul ad generationem huius mali concurrere. Etſi enim quis calidioris hepatis, & cordis, feruentioris ſpiritus & ſanguinis ſit in ſomno non adeo profundo, nunquam in ſomno ſurget, ſed prius expergeſiet, & facile intelliget ſibi non fruſtra ſurgendum eſſe, multò minus ambulabit periculosè, vel ludicra non videns peraget. Neceſſe eſt accedat magna humiditas, vel etiam ſimul frigiditas

Cauſæ neutrius conſtitutionis.
1.
2.

ditas cerebri, qua vapores elati ſuperius condenſantur, & quidam nerui muſculiq́ replentur atq́ obſtruuntur, vt in hoſce nihil ſpirituum animalium ex cerebro influat, nihilq́ agant & ſentiant, ſed planè quieſcant & à ſua actione munereúe ferientur. Econtra, ſi quis ſatis profundè dormiret, cerebro nimium humidiori & frigidiori dotatus, neq́ tam æſtuans cor heparq́, neq́ tam feruentes ac mobiles ſpiritus haberet, malum hoc non gigneretur. Neutrum ſine altero noctambulonem efficit.

2. *Adderem tertium, quod tamen frigidiorem & humidiorem cerebri conſtitutionem ſequitur, ſcilicet ſegniorem mentis impreſſionem. Nam dum hi Noctambulones hiſce, quæ in ſomno agunt, parum intendant, vnde etiam facilè obliuiſcuntur, & expergefacti neſciunt, quid egerint: fieri ſolet, vt virgis & loris caſtigati, aut alio terrore admoniti, ſegnitiem hanc obiter multa geſticulandi peragendiq́ deponant, ac mente vehementius attendentes, ad malum hoc non redeant.* Sed

Sed quia hoc de affectibus animi regendis ac moribus gubernandis, morale potius quàm phyſicum & medicum foret, neq; ſemper hiſce malum cederet: præſeruatiua, in qua ad cauſas futuri mali reſpicimus, duos priores ſcopos habet, à quibus præcautio huius mali arte medica rationali exorditur, vnum ipſam diſpoſitionem neutram corporis inæqualem intemperiē, quæ recidiuum paroxyſmum ſubinde minatur, alterum humores peccantes pituitam & bilem; ad quos principales ſcopos accedit natura ſubiecti & virtus facultatis. ab his indicationes veluti ſummæ conſiliorum & regulæ rectè operandi medico ſumuntur in inſtituendo προφυλακτικὴν. Scopi præſeruatiui. Principales duo. I. II. Minus principales.

INDICATIONES PRÆSERVATIVÆ.

1. Quod futurum eſt, ſcilicet ſurgere in ſomno, ambulare, & non ritè peragere aliquid, indicat eſſe propulſandum ac cauendum, ne id fiat. Indicationes præſeruatiuæ.

2. Cauſa, quæ hoc malum excitat

& interius mouet, indicat eſſe remo-uendam.

3. Cauſæ hæ ſi ſint plures, vt de duabus dictum eſt, indicant vel ambas vel ſaltem alterutram tollendam eſſe.

4. Intemperies cerebri plus iuſto humidior, indicat eſſe exiccandum, ſicq́; ſomnum profundum, cauſam mali, inhibendum.

5. Intemperies cerebri plus iuſto frigidior, indicat cerebrum eſſe calefaciendum.

6. Intemperies cordis & hepatis plus iuſto calidior, indicat eſſe refrigerandum.

7. Intemperies cordis & hepatis nimis calida & ſicca, indicat eſſe refrigerandum & humectandum.

8. Natura cerebri & aliàs frigidior humidiorq́;, & in quibuſdam imbecillior, adeo vt ad Epilepſiam diſpoſita ſit, indicat abſtinendum à valde refrigerantibus & humectantibus.

9. Natura cordis & hepatis calidior, indicat cerebrum frigidum humidum-

midumq́; , ita eſſe calefaciendum , ne viſcera alia inflammentur febriſq́; generetur.

10. Intemperies inæqualis cerebri & aliorum viſcerum , indicat modò cerebrum modò cor & hepar alterandum.

11. Materia peccans indicat euacuandum quoq; eſſe.

12. Pituita cerebri , indicat purgandum eſſe phlegmagogis.

13. Bilis in cæteris partibus corporis, indicat purgandum eſſe cholagogis.

14. Pituita craſsior cerebri, indicat attenuandam & incidendam ante purgationem eſſe.

15. Sanguis tenuis æſtuans & ſpiritus feruentiores , indicant eſſe incraſſandos contrarijs.

16. Intemperies inæqualis contraria ſibi ipſi in principalibus membris & in humoribus diuerſarum partium corporis, indicat tutius ac commodius per externa ſuam cuiuſq; alterationem fieri poſſe.

Mate-

Materia auxiliorum.

Materia auxiliorum.

I.

χειρουργικὴ non habet locum niſi in ſanguineis.

διαιτητική.

Hæc cum in medicina triplex ſit, διαιτητικὴ, φαρμακευτικὴ, χειρουργικὴ: Poſtrema nullum hic locum habet, niſi ſint ſanguineæ complexionis, aliæ verò ſalubres hoc modo noctambulonib. exiſtunt.

διαιτητικὴ cauſis gignentibus vel pituitam in cerebro, vel humores ſpiritusq́ſ ſubtiliores ipſamq́ſ bilem, aduerſari debet.

Aër.

Aër igitur ſit temperatus, modicè ad frigidum vergens, vitetur nebuloſus, pluuia multa, gelu immodicum, loca ſubterranea, ſtagna.

Cibus.

Cibus ſit paulò craſſior, caro bubula, leporina, veruecina, panes toſti, oua frixa, caſeus, pyra, oryzæ, piſces molles, caſtaneæ, & olera multa. Sed tamen quæ caput petunt, vt lac, lacticinia, raphani, cepæ, allium, vitentur.

Potus.

Potus ſit cereuiſia tenuior, triticea magis quàm hordeacea, vinum ſubaſtringens, album.

Somnus.

Somnus vitetur meridianus, & qui

ſtatim

ſtatim cœnam ſequitur, parcior quoq; exiſtat & ſæpius interturbetur.

Exercitatio corporis ſit vel pauca vel nulla. Exercitatio.

Inanitio & excretio per nares & os multa, quæ ſi deeſt, arte etiam iuuetur, ſed aliarum corporis partium planè moderata. Affectus animi ſint alacres, & moderati: temerarij autem, ira & libido, maximè periculoſi ſunt. Inanitio & Excretio.

Φαρμακευτικὴ remedia iuxta indicationes ſuggerit. Φαρμακευτική.

Primum, aluus leniatur benedicta medicina, v. g.

℞. *Elect. lenitiui,*
Diacathol.
Flor. caſſ. recenter extr. an. ℥. ij.
Cum ſaccharo q. ſ. fiat bolus.

Deinde ad maximam partem humorum peccantium alterandam ſequenti ſtatim die veniendum eſt. Sunt autem plærique humores noctambulonum totius corporis, exceptis ijs in cerebro, nimis tenues, ſubtiles, bilioſi; itaque digeſtiuum, hoſce alterans refrigerando, incraſ-

increaſſando & modicè aſtringendo, hoc eſt:

R. *Aquæ Acetoſæ*
Borraginis
Bugloſſæ an. ℥ ij.
Santali citrini
Roſarum rub.
Cinamomi an. ℈ s.

Coquantur duabus ebullitionibus, pòſt ſtent in infuſione horas 4. *demum colentur, & adde*

Syrupi de ſucco Borraginis ℥ ij.
Violarum ℥ j.
Miſce & fiat potio, pro duab. vicib.

Vel hæc capitalibus incidentibus temperentur, vt ſimul & æſtuantibus humoribus ſpiritibusq́ & craſſæ pituitæ cerebri proſint, v. g.

R. *Aq. Betonicæ*
fragariæ
Acetoſæ an. ℥ ij.
Syrup. de ſucco Borraginis ℥ ij.
de Betonica ℥ j.
Miſce & fiat potio pro 2. *vicib.*

Vel modò digeſtiua pro alterandis tenui-

nuibus in pleriſq; partibus, modo pro attenuanda & incidenda craſſa pituita cerebri, ac torpido ſegniq; ac ſomnolento humore, alternatim propinentur, v. g. Potio prior ante dicta, triduum propinetur ſua medietate, poſt biduum lambantur Syrupi ſequentes:

R. *Syruporum de Betonica*
de Cichorio cum Rhab.
de ſucco Borrag. an. ℥ ij.
Aquæ Fœniculi ℥ j.
Cinamomi ʒ j.
Miſce & dentur.
Sign. Syrup. pro 6. vicibus.

Tertiò, bilis iterum purganda eſt maxima ex parte, & pituita paulò minus, potione hac:

R. *Rad. Cichorij* ʒ ij.
Borraginis ʒ iij.
Fœniculi ʒ j. s.
Polypodij ℥ s.
Sem. Aniſi ʒ j. s.
4. frigidor. maior. an. ʒ. s.
Herb. Betonicæ M. j.
Acetoſæ M. ij.

Endi.

Endiuiæ M. j. s.
Florum Borraginis p. ij.
Roſarum rubearum
Violarum
Bugloſſæ an. p. j.
fol. ſenæ ℥ j. s.
paſſul. minorum ℥ j.

Coquantur l.a. in ſ. q. aquæ, ad tertias poſt colentur ℥ xiij. *& in colatura infundantur.*

Rhab. electi contuſi ℈ iiij.
Cinamomi electi ℈ j.
Macis ℈ s.
Agarici trochiſcati in petia ligati, ℈ ij.

Stent in infuſione per noctem, mane colentur.

R. *Colat. huius* ℥ vij.
& adde Mannæ ℥ j. s.
Syrup. de ſucco Borraginis
de ſucco Acetoſæ an. ℥ s.
Roſati ſolutiui ℥ j.
Miſce, & fiat potio.

de qua medietatem vna vice mane horis quatuor ante cibum calidè ebibat,

alte-

alteram quarta die poſt, ſed medicus prudens videat, vtrum purgatio vna ſufficiat, an repetenda ſit hæc eadem, & qua die pro ratione & humoris peccantis & virium. Quarto poſt purgationem ad localia accedendum & interius ſequentibus diebus intermedijs, alterantibus & inprimis etiam corroborantibus hepar atq; cerebrum idq; exiccantibus, quotidie bis frui poteſt, 2. horis ante prandium, vti oportet rotulis ſcilicet diarhodon Abbatis, & rotulis noſtræ deſcriptionis ſequentis, quibus feliciter nos in hiſce noctambulonibus vſos eſſe multi viderunt, licet ſanè alternis diebus variare etiam haſce rotulas:

R. *Marg. præparat.* ℈ j.
Smaragdi præparat. ℈ s.
Ol. nucis moſchatæ per expreſſionem ʒ j.
Sacchari clarificati lb. s.
Aq. lauend. ℥ iiij.

Coq. ad conſumptionem aquæ, poſt l. a. fiant rotulæ.

Conſerua quoque roſarum & Borraginis

ginis tantum vti aliquando conuenit.

Cal. & exiccantia cerebrum multò frigidius & humidius adhuc neceſſaria ſunt. Sed ſi interius adſumantur, ſimul ſanguinem æſtuantem reddunt, & bilem augent, ideoq́ nocent.

Quare potius capiti lixiuia exiccantia ex maiorana, betonica, floribus chamomeli, ſtœchados arabici, ante etiam frictiones cum linteis calidis optimè cōueniunt, cum cerebrum tutò calefiat, nec aliæ corporis partes noxam inde, ſed commodum perſentiſcant. Maſticatorij ſacculi mane pituitam maſticando extrahunt. v. g.

R. *Salis amoniaci*
Staphis agriæ an. ℈ s.
Rhabarbari
Piperis an. ℈ j.
Cubebarum
Maſticis an. ℈ ij.
Pyrethri
Zinziberis an. ʒ j.

Cum linteo fiant parui ſacculi maſticatorij interpaſtati: aut ſi ſint delicatu-

catuli, pomum olfacient, quod

R. *Storacis cal.*
Benzoi
Olibani an. ℥ s.
Laudani ℥ j.
Caryoph.
Macis
Nucis moſchatæ
Cubebarum an. ℈ j.
Sem. Nigellæ
Maioranæ an. ℈ s.
*Moſchi gr.*iij.
Draganti q. ſ. in aq. lauendulæ macerati, & fiat pomum cum Syndone.

CAPVT IX.

De ratione curandi eos, qui noctu ſurgunt, ambulant, & varia perficiunt in ipſo Paroxyſmo.

Noctambulatio ipſa, in qua huiuſmodi homines ſurgunt, ambulant, & varia peragunt, modo clauſis oculis modo videntes, nec tamen omnia Noctambulatio eſt ſymptoma.

perſpicientes, Symptoma eſt actionis deprauatæ ſenſus motusq́ voluntarij.

Morbus quis. *Cauſa immediata huius ſymptomatis continens dicta, eſt morbus ipſe, nimirũ intemperies inæqualis & cerebri humidioris vel ſimul etiã frigidioris, & cordis hepatisq́ calidiorum feruentiorumq́, in tantum excedens ſuis qualitatibus, vt hanc deprauatam ambulatione operationemq́ ambulonum actu iam efficiat.*

Cauſæ antecedentes. *Cauſæ antecedentes ſunt pituita craßior multaq́, in cerebro abundans, & ſpiritus ſanguisq́ totius inſuper*

Signa morbi. *corporis feruens ac æſtuans. Signa præſentis mali, actio ipſa deprauata, quam non æger, ſed adſtantes cum ſtupore & admiratione intelligunt.* Prognoſticum. *Prognoſticum,*

I. *1. hoſce noctambulones iam ambulantes de ſanitate & vita periclitari, cum modò in aquam, modò in ignem, modò altius deſuper in terram cadere poßint.*

II. *2. Noctambulationem ſi nec crebrior nec adeo periculoſa fuerit, ætate mutari.*

III. *3. Noctambulationem multam & periculoſam, requirere curatiuam.*

Cura-

285

Curatiua rationalis duplex hic inſtituenda eſt, vna in paroxyſmo, altera poſt eum.

Curatiua noctambulonis in paroxyſmo eſt irregularis potius, hoc eſt, quæ ſymptoma vrgens & adeo periculoſum, neglecta aliquandiu vera & legitima curatiua, ſpectat. Curatiua noctambulonis in paroxyſmo.

Ipſa igitur noctambulatio, ipſe ſpirituum & ſanguinis feruor, ipſe ſomnus profundus, ſcopi huius curatiuæ ſiunt. Scopi curatiuæ.

Indicationes ſunt:

I. Spiritus ac ſanguis feruore ſeſe ad omnia membra efferentes in ſomno profundo, indicant eſſe diſſipandos ac ſedandos ſolerti arte. Indicationes curatiuæ.

II. Natura ſubiecti, in quo virtus facultatis cerebri robuſtior, indicat ſtatim eſſe diſſipandos.

III. Natura ſubiecti, in quo facultas imbecillior & ad Epilepſiam diſpoſita, indicat non niſi cum finis ſit paroxyſmi, diſſipandos aut diſpergendos.

IV. Senſus torpentes in ſomno tam

profundo, indicant eo in loco, vbi tuto licet, eſſe excitandos.

V. Commotio magna ſanguinis & ſpirituum æſtuantium, indicat ſolerti arte interturbandam.

VI. Mens incitata in noctambulatione, indicat finito paroxyſmo non eſſe conſternandum noctambulonem multa narratione triſtium ac admirandorum, præſertim cum multi ex hac in melancholiam inciderint.

VII. Noctambulatio periculoſiſſima indicat inhibendam eſſe, quàm primum & quàm tutò liceat.

VIII. Spiritus feruentes & animus vigilans, indicant & refrigerandos eſſe pedes manuſq́;, & terrore optimè curari.

Materia auxiliorum.

Materia auxiliorum in ipſo paroxyſmo.

I. διαιτητική.

Primas tenet διαιτητική.

I. Motus corporis noctambulantis vehementior ab altero factus in loco tuto vt ſenſus excitentur, prodeſt.

II. Pro-

281

II. Proprij etiam nominis acclamatio.

III. Affectuum animi correctio, ſi ſint nimis temerarij, obiurgationibus & verberibus compeſcendi ſint, ſi negligentiores & oſcitantiores, minis alijſq; pœnis accuratiores ac memores ſui officij reddendi ſunt, ſi triſtiores, conſolationibus erigendi veniunt.

χειρουργική. *Peluis vel vas rotundum aqua frigida plenum, ipſi in eo loco, ad quem pergit, ſupponatur, vt noctambulo ingreſſus mobilia hæc vaſa aqua repleta, & refrigeret ſanguinem feruentem & cadat. Hoc terrore & remedio expergefacti ad ſe redeunt, neq; vnquam poſt noctambulant.* II. χειρουργική.

Φαρμακευτική *nulla adhiberi ſolet: ſed mihi valde conſultum videtur in fine paroxyſmi rotulas deſcriptionis noſtræ pro alteratione & corroboratione cerebri antea conſcriptas, vſurpari ſtatim duas, quia hunc in Apoplexiam, illum in melancholiam incidiſſe vidi.* III. Φαρμακευτική.

Curatiua regularis & vera ipſius in- Curatiua regularis

extra paroxyſmum. *temperiei inæqualis valde excedentis, conuenit quodammodo cum προφυλακτικῇ, eſt enim ſimul προφυλακτικὴ & θεραπευτικὴ, niſi quod alterantia intemperiem cuiusq́, localia plura ſunt continuanda.*

In intemperie cordis & hepatis alteranda modò Vnguenta ad regionem hepatis, modò Epithemata adhibeantur inſuper.

Vnguentũ.

Vnguentum.

R. *Olei de Nymphea*
violarum
liliorum alb. an. ℨ iij.
Vng. infrig. Gal.
roſati Meſues an. ℥ s. ℨ ij.
Ceræ q. ſ. & fiat vnguentum.

Epithema.

Epithema.

R. *Aq. roſarum* ℥ iiij.
Endiuiæ
acetoſæ
abſinthij an. ℥ ij.
aceti roſacei opt. ℥ j. s.
Sp. diatrion Santal.
Diarhod. abb. an. ℨ j.

Miſce

Miſce, & fiat Epithema.

In intemperie cordis alteranda, ſacculi cordiales cum floribus refrigerantibus & Sp. Diam. frigidi conueniunt. Sacculi cordiales & ſpecies.

In intemperie cerebri alteranda, cũ nihil intus aſſumi queat, quod calefaciat cerebrum, quinetiam ſanguinem & ſpiritus feruentiores reddat: Compoſitum concinnè factum medicamentum quod vtriſq; inæqualibus intemperiebus prodeſt, vſurpandum eſt in hunc modum: Morſelæ.

R. *Sp. arom. roſati* ℈ ij.
Diarhodon
Diam. frig. an. ʒ s.
Diamoſchu dulcis
Diambræ an. ℈ s.
Olei macis gutt. iij.
Sacchari ℥ iij. s.

Diſſoluantur in aqua Borraginis q. ſ. fiant morſuli.

Poſtremo illud monere fortè debeo, aliquando noctambulationem in ſanguineum quoq; per ſe calidum & humidum vel etiam calidum tantum cadere poſſe, ideoq; quod cerebrum illi ſit Venæ ſectio.

humidius, nec tamen frigidum, vt ſomnus profundior accerſeretur, ca omnia principalia feruentia mane. Hiſce noctambulonibus venæ ſectio, & ratione euacuationis, & refrigerationis medetur. Sed cætera prudentiæ cuiusq; medici relinquimus.

IACOBVS HORSTIVS D. STVDIOSIS ARTIVM ET MEDICINÆ in Academia Iulia S. D.

HOdie, DEO volente, hora ſecunda pomeridiana, in auditorio magno, ad prælectiones vſitatas reuertar. Sed quia initio earum, ſubinde hiſtorias medicas dignas memoratu adducimus, & ad vſum diſcentium phyſica medicaq; accommodamus, vt & auditorum experientia augea-tur,

tur, & medicina rationalis exemplis confirmetur: non poſſumus hiſtoriam ambulonis, qui hiſce diebus in ſomno ſurgens, ſat longinquum iter dormiẽs ambulauit, & perreptando puteum ſatis profundum ingreſſus, apprehendensq́; digitis manuum atque pedum parietem eius, firmiter adhæſit, donec clamans auxilium domeſticorum experiretur, ſilentio præterire, præſertim cum in ſacris concionibus de diuina eius conſeruatione & liberatione rectè dictum ſit. Fateor numen diuinum & in operibus naturæ, & in morbis multa ita regere, vt màxima pars ſit diuina & miraculoſa, minima naturæ & artis medicæ. Nam Hippocrates peſti τὸ θεῖον, id eſt, diuinum ineſſe docet, & rurſus περὶ εὐσχημοσύνης medici monet, vt numen diuinum omnia regens & in ijs quæ natura fiunt, & in morbis arte curatis, ſedulò animaduertat. Sed naturalis iſta vis & in hiſce ambulonibus, & in alijs multis

vel

vel operibus naturæ, vel morbis, qua Devs tanquam ſuo medio vtitur, diligenter explicanda eſt. Quam ob cauſam hora & loco antedictis, de natura, cauſis, effectu & curatione noctambulonum phyſicè diſſeram, vt & quæ naturalia ſint, ad gloriam Dei magis cognoſcantur, & quæ miraculoſè præter ordinem naturæ ſeſe habent, diſtinguantur. Qui de his certiores eſſe volunt, id temporis ibidem conuenire poterunt. Valete. Helmſtadij 23. Aprilis, Anno 1592.

DE NOCTAMBVLONIBVS OMNIA QVÆ EXTANT APVD OMNES medicos atq; Philoſophos tam veteres, quàm recentiores.

HIPPOCRATES LIB. III. Epidemiorum,& Galenus commento 1. in eundem. Interpretes Hippócratis lunaticos, licet non ſatis propriè, appellaſſe.

VErùm hactenus quidam Interpretes librorum adeo contemnunt auditores, vt ego Alexandriæ quondam huiuſcemodi audiuerim de quodam ægro interpretationem in lib. 1. de vulgaribus morbis deſcripto, illo capite, cuius eſt initium: Silenus, qui in Platamonis ædibus habitabat. Nam exponendis Hippocrates ijs, quæ illi acciderant, ita ſcribit: Noctem inſomnem duxit, multa verba, riſus, cantus. His igitur acclamabat, qui

rabat librum: ſcilicet σεληνιακὸς erat, id eſt, lunaticus. Hîc præ admiratione diſcipuli in clamorem eruperunt.

Ariſtoteles lib. 5. de generatione animalium cap. 1.

Affirmat in ſomno non tantum motum, verum etiam ſenſus ſeruari poſſe, hæc verba habens: Accidit enim dormientibus etiam animalibus ſenſus, non modò quæ ſomnia vocantur, ſed etiam præter ſomnia, vt ijs qui dormientes reſurgunt, & quidem pleraq; agunt ſine ſomnio. Sunt enim qui dormientes reſurgant & ambulent, videntes eo modo, quo qui vigilant. Iis enim ſenſus accidentium contingit, quanquam non vigilantibus, tamen non vt ſomnium.

Galenus lib. 2. de motu muſculorum tribus capitibus docet, & quod dormientes in ſomno ambulare queant, & quo modo.

Caput quartum de motu muſculorum.

Non

Non igitur ne dormientes quidem, omnes penitus ocioſos muſculos habent. Sed quicunque propter ebrietatem, aut defatigationem, aut infirmitatem virium omnes corporis partes omnino exoluentes, in mediam eas figuram muſculis redire permiſerunt: hi tantum perfectè muſculos quieſcentes habent. Non tamen in extremis figuris vllam particulam quiuis poteſt habere, dum dormit. Valida enim, & vehementer intenſa actione muſculorum ad huiuſmodi indigemus. Quæcunq; autem in medio ſunt inter extremas & mediam figuram, in his vt plurimum ſomnum capimus. In quacunq; enim talium conſtituens membrũ muſculis circa ipſum tonicè agentibus cuſtodiam figuræ commiſeris, ſic ſeruant: adeo vt ſedentes ſæpe quidam dormiuerint, & nonnulli deambulantes: & hoc equidem audiens, antea non credebam. Cum autem fuit opus aliquando per totam noctem iter facere, experientia rem ipſam edoctus, coactus ſum credere. Ferme enim

ſtadium integrum dormiendo peregi, & ſomnia videns, nec prius excitatus ſum, quàm in lapidem impegerim, & id eſt profectò, quod non permittit dormienti iter facere longum, quia non poteſt exactè læuem viam nanciſci. Id igitur ſolis expertis credibile eſt. Cætera autem omnibus euidenter quotidie apparent, quæ in his, qui dormiunt ſedendo, accidunt. Et ipſorum quoq; diſcumbentium pauci omnino exactam figuram in vnaquaq; particula habent. Qui autem in manibus aliquid ſeruant, hi quidem & valde tonicam actionem oſtendunt: manent enim eorum digiti exactè flexi circa paruum ſæpe corpus, aurum, aut lapidem, aut aliquem nummum. Quod autem inferiori maxillæ accidit, nónne & id manifeſtum eſt? non enim diſcedit à ſuperiore, niſi ebrius aliquis, aut valde ignauus, aut ſummè defeſſus dormiat: & ipſe quoq; ſtertor propter huiuſmodi fieri ſolet, relaxata quidem inferiore maxilla, ſupino autem iacente homine. Etenim & idipſum videli-

..cet ſupinum iacere, ſignum eſt reſolutionis: ob eamq; cauſam vtiq; & Hippocrates vtrumq; damnat, & ſupinum iacere, & hiare dormientem. Decubitus autem in alterum laterum laudat. Cognoſcere autem maximè poſſes quanta actio huiuſcemodi cubationibus ineſt: ſi corpus hominis mortuum ſic inclinaueris, non enim, ne minimo quidem tempore manebit: ſed ſupinum aut pronum ſtatim fiet, quocunq; grauitate verget. Itaq; & ſupinum iacere, & hiare non abſq; actione ſtertendi, aut exolutionis, aut ebrietatis, aut ignauiæ ſunt ſigna. Ideo rurſus Hippocrates, cum omnes partes iubeat luxatas, & contritas, in figuris dolore carentibus manuali operatione pertractare, cuiuſmodi, inquit, in inferiori maxilla hominis mediocriter hiantis. qualis enim in manu angularis eſt figura, talis eſt in inferiori maxilla mediocris hiatus, hæc enim eſt extremarum media. Extremæ igitur inferioris maxillæ figuræ ſunt, tum quæ maximè hiantibus, tum quæ den-

Lib. 1. Progn.

Lib. de luxatis.

tes inuicem firmantibus fit, quai illa quidem à muſculis, qui in mento & collo ſunt, deorſum trahentibus, altera autem ab his, qui intra maxillam ex palato oriuntur, & his qui temporales vocantur, perficitur: niſi fortè & muſculi maſticatorij nuncupati, qui ſunt ad latera inferioris maxillæ, actionem adiuuant, hoc enim alibi diſcutiemus. Verùm mediocriter hiando media figura fit, omnibus dictis muſculis quieſcentibus. Cæterum & morientibus ſponte ſua ad hanc maxillà inferior merito accedit. Omnes enim muſculi actione priuantur. Manifeſtum igitur, quòd dum dormiunt non aperto ore, actio muſculorum retrahentium maxillam conſeruatur. multi verò extenſas aut flexas ad vnguem manus habentes vel etiam crura, dormiunt, ſeruantes etiam in his actionem tonicam. Sed fortè longior ſum, cum liceat in memoriam reducere, quæ maximè in promptu ſunt. Quis enim noſtrum opus eſſe negabit, ſcilicet effluxiones ſuperfluitatum per muſculos

Lib. 11. de vſu part. & lib. 4. admin. anat.

custo-

cuſtodiri? Meatuum enim excreteriorũ finibus ceu portis quibuſdam cuſtodes præſunt muſculi prævalidi, nihil permittentes extra ferri prius, quàm ratio iuſſerit. Quin & hos in dormientibus videmus ſuum officium abſq; vitio perficere. Et emittere aliquid ſuperfluitatum inuitè, aut reſolutis his muſculis fit, aut ratione deprauata, vt in phreneticis: aut etiam ratione & muſculis grauatis, vt in ebrietatibus. Oportet enim aut rationem non præeſſe, aut muſculos agere non poſſe, aut vtraq; ſimul eſſe læſa. Temeraria igitur ſententia eſt, quæ aſſerit animam dormientium quieſcere, niſi ceſſationem hanc non perfectam quietem, ſed quaſi intermiſſionẽ quandam vigoris dicant. nam ſi hoc dicant, bene dicunt, ipſiſq; aſſentimur. Non enim ſenſus expertes penitus ſunt dormientes, ſed difficulter ſentientes. Cur enim vocantes ſubaudiunt, & lumine importato exurgunt, & tangentes ſentiunt? quod ſi mihi ebrium dicas, nec vbi terrarum ſit, ſcientem, & eum,

qui præ ignauia Epimenide profundius dormiat: iſti & prius, quàm dormirent, propè ſenſus expertes erant. & magis vtiq; cuſtodiam cuiuſcunq; rei permitteres viro frugi & ſtrenuo dormienti, quàm huiuſcemodi vigilantibus. Veruntamen & iſti conſeruant multas operationes animales.

Caput Quintum.

Non igitur adhibenda eſt fides ſermoni dicenti actiones, quæ fiunt dormientibus, & profundiori ſomno oppreſſis omnes naturales eſſe, non enim in vniuerſum verum eſt hoc. Nónne tranſferunt & mouent variè membra? nónne etiam dormientes loquuntur? an & hæc naturæ opera dicent? At (dicet fortaſſe quiſpiam) non aſſequimur mente ea fieri. Neq; ſanè palpebrarum motum ſemper: neq; cum concionem habes, aut oras, aut diſputas, adhibes mentem omnium partium motibus: neq; cum Athenas adis ex Peraeo, omnibus particularibus crurum actionibus. Nam cogitabun-

ſtabundi ſæpius imprudenter peregerunt iter, aut etiam præterierunt locum, ad quem principio proficiſcebantur. Vtrum igitur ambulatio neq; animæ actio eſt, neq; motu voluntario fit? Aeque enim nos & ambulatio præſens videtur latere, & quæ in ſomnis accidit, motus quidem partium, quæ mouentur: actio autem tonica, earum quæ non mouentur. quare quam cauſam in vigilantibus dixeris, quod ſæpe non animaduertunt particulares actiones, hanc etiam & ad dormientes, & grauius oppreſſos transferre licet, nec amplius admirari, cur multa opera voluntario & his fiant? ſed cauſæ ignorantia promptè pronunciare nullum talium operum voluntario fieri, vide, ne temerarium ſit. Quod ſi nullo certiore iudicio huiuſcemodi iudicari queant, vtrum voluntatis an naturæ ſint actiones, quid aliud concluditur, quàm nihil oportere de ijs pronunciare? Atq; æquum potius eſt de huiuſmodi dubitare, quàm temerè decernere. Sed ſi habemus euidentiſſimum iudicium de

voluntarijs actionibus, ſicut certè habemus, pronunciemus confidenter non ſolum quodq; dictorum, verumetiam reſpirationem ipſam motu voluntario fieri, nimirum cum & ipſa ſubijci iudicio videatur. Quid igitur eſt, quo iudicamus opera voluntaria? Multa tibi confido, (non vnum iudicium) me daturum, omniaq; ſibi inuicem conſentanea. Etenim ſi, quæ fiunt, ſedare potes, cum vis, & quæ non fiunt, facere, id eſt motus voluntarius. Si præterea citius aut tardius, crebrius & rarius ea faciendi poteſtatem habes, nonne omnibus modis manifeſtum eſt actiones eas ſeruire voluntati? Arteriæ certè motum & cordis neq; cohibere, neq; excitare, neque crebriorem, neq; rariorem, neq; tardiorem, neq; velociorem voluntas facere poteſt: idcirco ne animæ quidem opera huiſcemodi eſſe dicunt, ſed naturæ: motum autem crurum in ijs omnibus ratio regit. Nam & ſedare, dum fit, & rurſus excitare quieſcentem, & velociorem & tardiorem & rariorem ac frequentiorem

rem

 285

rem efficere poteſt. Hæc eadem & in reſpirationis motu fiunt, quæ actio quidem eſt φρενῶν, & muſculorum thoracis, vt in his, quæ de cauſis reſpirationis ſcripſimus, demonſtratur: animæ autem, non naturæ eſt opus. Siquidem mouere muſculos, animæ officium eſt. Non eſt autem æquum, in quibus cauſam non reperimus, in ijs diſcedere ab his, quæ euidenter apparent: euidentia certè ſunt iudicia actionum voluntariarum. Cauſam autem nō reperimus in his, quorum particulares actiones non aſſequimur. Qui igitur euidentibus fidem abrogat, ſenſus eſt expers: qui verò de dubijs promptè pronunciat, temerarius eſt: qui autem propter obſcuritatem, quæ in his ineſt, quæ etiam clara ſunt, habet ſuſpecta, de numero eorum eſt, qui dubitationibus oblectantur. Porro qui non modò ſuſpecta habet, verum etiā quæ clara ſunt, propter obſcuritatem dubiorum ſtudet euertere, extremè fatuus eſt. Ne igitur ſponte ſenſum nobis ipſi adimam⁹, neq; dubitationis æmuli, aut fatui, aut

aliud eiuſmodi quiduis ſimus; ſed quod tum rectum eſt, tum modeſtis hominibus conuenit, quod quidem euidens eſt, promptè accipiamus: quod autē eſt dubium, per ocium quaramus. Euidens igitur eſt, voluntatem reſpirationi dominari: Dubium verò, quid ſit, cur pleraſq; actionum voluntariarum mente non aſſequamur. Eo itaq; ſuppoſito quod eſt euidens, ad veſtigandam cauſam tranſeamus, non contendentes omnino quicquam in ea, nec adſerentes adhuc nos inueniſſe veram cauſam, tametſi ea dictis antea longè eſt probabilior. Cæterum (vt ego arbitror) nemo adhuc cauſam dixit, ſed dubitatione ſola (cuius iam mentionem feci) adſcripta, cauſam ſe putauerunt inueniſſe. Quorum ſanè inſtitutum eſt laudandum, ſiue inuenerunt, ſiue inuenire ſtuduerunt. Sed ipſos nos quoq; non decet pigros eſſe ad inueniendum ea, quæ reſtant.

Caput Sextum.

Principium autem inueniendi ea hoc facie-

faciemus, multos videlicet homines interdum actiones quaſdam egiſſe, quarum paulò poſt penitus ſunt obliti: vt qui per metum, aut ebrietatem, aut aliquid aliud generis eiuſdem egerunt, nihil amplius eorum, quæ egerint, dum in illis conſtitutionibus erant, recordantur. Cauſa autem, vt mihi videtur, eſt, quod non intenti actionibus tota mente fuerint. Pars enim animæ imaginatiua, quæcunq; ea ſit, hæc eadem & recordari videtur. Si itaq; inſignes impreſſiones rerum in imaginationibus acceperit, conſeruat perpetuò: atq; id quidem eſt memoria tenere. Sin verò obſcuras & penitus ſuperficiarias, non conſeruat: & hoc eſt obliuiſci, & hanc ob cauſam in ira, curis, ebrietatibus, timoribus, phrenitidibus, & omnino in vehementibus animi affectibus, nullius eorum quæ egerint, amplius meminerunt. Quid igitur mirum eſt, in ſomnis etiam obſcurè agente anima, obſcuras etiam imaginationes fieri, ideoq; nec ſtabiles? quid etiam mirum, ſi in vigilijs ratione quidem

dem aliquid meditante, & tota ferè circa curam intenta, parua quadam eius admodum pars circa ambulationem occupata impreſſionem actionis facit obſcuram: & idcirco ſtatim oblita, ne quidem, ſi ſpontaneo motu opus factum ſit, amplius meminit? Vt enim ſi nullo pacto recordaremur, non vtiq; poſſemus de vlla re præterita conſiderare: ſic in quibus non meminimus, neſcimus qualiánam erant. Conſeruari enim ea prius memoria oportet, vt, qualiánam ſint natura, deinde conſideremus. Nihil igitur mirum mihi certè videtur, ſi motu voluntario reſpirationem in ſomnis agente, poſtquam expergefacti fuerimus, non poſſimus dicere, an ſecundum voluntatem reſpiremus: ſed ſimile profectò accidit, quod illi, qui & pedes & manus in ſomnis mouerit, & aliquid ſit locutus: poſtea illorum oblitus dicat fieri abſq; voluntate & membrorum motum, & vocem. Nam & qui mente errant, loquuntur, & vadunt, & omnes motus voluntarios obeunt, ſed ne

hi quidem, cum ad ingenium redierint, amplius meminerunt, quæ egerint. Noui enim quendam per tredecim dies deliraſſe hoc pacto. Putabat quidem ſe Athenis non Romæ iacere, crebro autem familiarem puerum vocans, iubebat ſibi, quæ ad gymnaſium pertinebant, afferri, & pauca intermiſſione facta, heus, inquit, Ptolemæum dico, decreui in gymnaſio diu lauari, ac nonnunquam etiam exiliebat interea, atq; indutus ibat rectà ad oſtium aulæ: ac cum retinerent eum, qui intus erant, exireq; prohiberent, cur prohiberetur ab eis, percontabatur. Hi verò (nihil enim licebat aliud dicere, quàm ea, quæ erant vera) febricitaſſe eum dicebant, & adhuc febricitare. Ipſe autem & ad hæc valdè modeſtè reſpondebat: ſcire enim & ipſe dicebat, quod adhuc reliquiæ ſibi febris reſtabant, ſed eas penitus eſſe exiguas, nec metuendum, ne à balneo læderetur: ortam enim ſibi totam præſentem febrem ex itinere. An non recordaris, conuerſus ad puerum dicebat, quòd laborioſè

heri

heri iter fecimus à Megaris Athenas: Talia cum diceret ac faceret, fluxu ſanguinis per nares repente copioſo ſibi facto, & poſt ipſum ſudore, ſtatim quidem conualuit. Sed eorum, quæ ante ſibi acciderant, nullius amplius recordabatur. Vtrum igitur (hoc enim eſt, quod à principio propoſuimus oſtendere) ſurrexiſſe & locutum fuiſſe, & aluum exoneraſſe, & minxiſſe (hæc enim omnia in omnibus illis diebus homo faciebat) non ſint actiones voluntariæ: an id quidem abſurdum? Nam ſi hæ non ſunt voluntariæ, ne vlla alia quidem erit. Non autem eorum recordabatur, quemadmodum ne ſobrij quidem eorum, quæ ebrij fecerunt, amplius meminerunt. Quid igitur mirum ita ſe habere & in reſpiratione, vt fiat quidem ipſa ex voluntate? Sed cùm aliâs quidem diligentius adhibeamus mentem, aliâs verò negligentius ſegniusq́; : Idcirco recordamur quidem actionum, quibus mentem adhibuimus: obliuiſcimur autem, quæ ſecus ſe habent. Quoniam verò

cuius

cuius rei penitus obliti fuerimus, hanc ne actam quidem fuiſſe aliquando putamus: conſequens eſt, vt ne ſi cum voluntate quidem acta ſit, recordemur. Quod autem totum opus reſpirationis voluntate & ſponte ab anima fiat, declarauit ſeruus barbarus: qui cum vehementi ira concitatus, mortẽ ſibi conſciſcere decreuiſſet, proſtratus humi, reſpirationeq; cohibita, longo quidem tẽpore immobilis erat: poſtea verò paulum volutatus, hoc pacto mortuus eſt. Quod ſi non liceret vſquequaq; reſpirationem cohibere, ne idcirco quidem aliquis negaret, quin ipſa ſecundum voluntatem fieret. Apparent enim eorum operum, quæ motu voluntario fiunt, alia quidem libera eſſe, alia verò affectibus corporis ſeruire. Priora itaq; perpetuò abſq; impedimento à nobis fiunt: poſteriora verò non perpetuò, ſed in tempore quodam & cum menſura. Nam ire ad aliquem, & alloqui & capere aliquid, & recipere, abſolute libera ſunt. egerere verò & mingere, corporis affectuũ ſunt

reme-

remedia. Atqui nonnulli tacuerunt quidem annum integrum, & eo amplius, idq́ ſponte ſua: egeſtionem verò, vel vrinam retinere, non modò annis, ſed ne menſibus, quinimo ne diebus paucis nemo potuit. Adeo enim vrgent ac ſæpe angunt vel multitudine aggrauantia, vel acrimonia mordentia, vt quidam ne in locum quidem conſuetum abire valuerint. Simile igitur his eſt & reſpirationis opus, imo multo magis vrget, ac celeriorem neceſſitatem habet. etenim periculum eſt ne quis moriatur, niſi reſpirauerit, atq; extremè moleſtum eſt ſuffocari. Nihil igitur mirum, ſi penitus retinere ipſam arduum ſit, neq; enim omnes ad moriendū ſunt procliues, etiamſi infinitis malis conflictentur: neq; qui eò progrediuntur, abire è vita ſummo cum dolore volunt. Ne igitur quiſpiam eò, quod tacere quidem ſi velimus, vſquequaque poſſumus, reſpirationem verò retinere non poſſumus, idcirco voluntarium quidem opus eſſe vocem, minimè autem, ſed naturale quiddam reſpirationem

tionem exiſtimet. Id certè arbitror claiè demonſtratum fuiſſe.

Ludouicus Cœlius Rhodiginus lectionum antiquarum lib. 16. cap. 36. editionis anno 1517. recentioris verò lib. 30. cap 8.

Ex ijs verò omnibus facilimum erit, ambiguitates tollere, quæ ab ingenioſis plærunq; agitari ſolent, & ab experientia originem ducunt. Namq; obſeruatum eſt, Vinolentos non ferè dormire. Id & in libro Encyclicarum quæſtionum propoſuit Ariſtoteles, & Hali Practices primo, vbi in ebrietate ait, non eſſe ſomno locum. Ibi namq; fieri, quod in lucernis contingit, in quas ſi præter modum infuderis oleum, reſtinguitur mox lumen. Ratio verò euidens. Nam ad ſomnum creandum calidum adeſſe humorem, opus eſt: hic enim concoqui expeditè poteſt; indeq; ad caput vapores ſurriguntur, à quibus ſubinde ſomnus inducitur. Quod ſi deeſt, exiguuſq; humor, aut concoctu difficilis

lis ineſt, ſomnus non oritur. Qua de cauſa poſt cibum ſomnolentiſsimi fieri ob calorem ſolemus. Melancholicos verò & vehementer æſtuantes inſomnia tenet, alteros, quia refrigeratus humor penitus eſt: alteros, quia nullus eſt, aut certè minimus. Scribit Auerrois, poſt labores obrepere ſomnum, quia dum mouentur animalia, exercenturq́ʒ, ſpargitur innatus calor eorum, & quantitas diminuitur, indeq́ʒ refrigeratur, & proinde neceſſario ad principia recurrit, vt proprijs velut theſauris communiatur aduerſus præpedientia. Ariſtoteles verò, ex Themiſtij interpretatione: Aliquando, inquit, & fatigatione multa pertentamur ſomno: Cuius ea ratio eſt, quod labor diffundit quædam in nobis, & tabeſcere facit, quæ vicem incocti alimenti præbent, niſi colliquamentum id frigidum ſit. Ita inteſtinorum calor, qui ex attritu, laboreq́ʒ exprimitur, recrementa quædam emollit, quæ ad ſuperiorem locum redundantia ſomnum inducunt. Interdum & morbi hoc faciunt,

ciunt, qui ex humidis & calidis excrementis conualeſcunt, quod genus in febre & lethargo cernimus. Hieme proculdubio ſomnolentiores ſumus, quod aëris humectatio frigida facit, & noctes porro longiores, ſicuti Hippocratẽ quoq; ſanxiſſe nouimus. Sed maior id quoq; facit cibariorum ingeſtio, nam appetentia tunc vegetior & excitatior eſt. Quoniam verò vt membris grauioribus ſimus, facit ſomnus. Hinc & illud obuenire à peritioribus adnotatum eſt, vt quo tempore plus dormimus quàm vigilamus, quod hybernum profectò eſt, hoc vox efficiatur grauior. Cum enim tempus, quod interuenit ad vigilandũ, breue ſit, habitus corporis, qui inter dormiendum committitur, permanere vſq; ad ſomni repetitionem poteſt. Igitur cum aër non ſolum interior, ſed exterior, ſit craſſior, & craſſior qui eſt, tardius etiam moueatur, tunc grauior non immeritò vox eſt. Nec illud incurioſè tranſiliuerim, quod Ariſtotelica lectio, magiſter mutus mihi ſuggerit in

præſentia: Qui grauiter & ſuauiſsimè dormiant, nihil admodum ſomniare, quia ſenſus & intelligentia hominis tunc ſuo fungi officio poteſt, cum animus tranquillatur & requieſcit, qua quidem requie vel ipſa ſciendi ratio conſtare videtur. Ex quo fit, vt amentes ſint pueri, & ebrij, & inſani. Facit enim calor, qui nimis in his eſt, vt motu plurimo vehementiſsimoq́; inquietentur, quo motu deſiſtente, prudentiores eſſe incipiunt. Qua tamen in parte commonendi amplius ſumus, quod à doctiſsimis proditum eſt, Gallorum pueros initio ſapientes videri, mox auctiores factos deſipere. Quod educandi curæ aliqui aſcribunt: Aut verius, cum extra modum corpore ſint humectiore, calor innatus ita adobruitur; vt quieſcat. Propterea item orbiculatiore ſunt capite, quia nequit expandi caliditas. Ex ea verò quiete videntur illi quidem ſapientiores. Vbi verò auxerint, humecta illa redundantia ætate iam deflacceſcente, calor inualeſcens præualet, proin-

proinde vehementiores illis contingunt motus, euaporante humido caliditatis vi. Adiuuare putant & capitis illam nō naturalem configurationem, quam ſunt initio conſecuti. At in Italia contraria ſe ratione habere pueros, palàm eſt. Vnde ſcitiſsimum profluit Adagiū, vt Gallicam appellantes ſapientiam, pręmaturam intelligamus, & quę mox deficiens obbruteſcat quodammodo.

CAPVT XXXVII.

Vt verò ad inſtitutum redeamus, iactatur animus noſter maximè in ſomnis, calore ſcilicet, qui vndiq; in partem ſe interiorem colligit. Atq; ita efficitur, vt plurima vehementiſsimaq; illa obſtante iactatione, nullum interuenire ſomnium poſsit, vaporibus multis phantaſia organū ſcandentibus. Nec putandum, quod animus tunc conquieſcat, & per ſe maximè ſit, cum nullum ſomnium trahitur, vt multitudinis opinio eſt: Plurimus autem motus, cum ſuauiſsimè quis obdormiſcit, merito propterea

eſt, quod tunc maximè larga caloris copia in partem interiorem contrahitur. Porrò in ſomno, quem cibo ingeſto primum capimus, nulla facultas videndi ſomnij datur, quia tunc maximè accidit, vt animus propter cibum ingeſtum concitetur. Somnium verò occurrit, cum cogitantibus nobis & ante oculos rem ponentibus, obrepit ſomnus. Illud quoq; obiter hic annotaſſe, operæpretium fuerit, eos qui inſtructi virtutibus ſint, meliora ſomnia videre, quod etiam vigilantes meliora animaduertunt. Qui deterius animo vel corpore affecti ſunt, deteriora concipiunt. Melancholici idcirco in ſomnis crebrò excitari conſueuerunt, quod calore tunc largiore bilis atræ vrgente, animus moueri æquè amplius cogitur, vnde exiliunt ſæpe, ſurguntq; euntes huc illuc. Hincq; aucupantur eruditi cauſam, quare nonnullis quandoq; obueniat, vt etiam dormientes ambulent. Id enim ferè contingit, vbi multus fuerit motus, & multa perturbatio, nec tamen vali-

da adeo, vt etiam ſomnum conuellat. Sed quid eſt, quod contemplantibus plærunq; ſomnus obrepit? Nempe cum in motu & ſolicitudine cogitatio noſtra ſit, eoq; impediatur concoctio, neceſſe eſt, craſſa eſſe euaporamenta, quæ commeant. Illud vtiq; ſcitu item iucundum, cum calor ad ima ſubterfugit, frigeſcunt palpebræ, & frigefactæ comprimuntur & confluunt. Ita quibus palpebræ ſunt, conniuendo obdormiſcunt, nihil enim aliud cohibet, mouet, imperat, regit in corpore quàm calor. Frigent igitur ſuperiora in ſomno, & vndiq; corporis extrema. Contra recaleſcunt inferiores loci, vt pedes, & interiora, vt viſcera, & id genus alia. Expergiſcitur verò animal, vbi primum abſoluta, & profligata concoctio eſt. Cumq; intimus calor, qui ambientis frigoris metu in anguſtum ſe contulerat, tandem victis difficultatibus, & ſuperior factus promicat è latebra. Sed illud relinquimúsne indiſcuſſum? Quidnam ſit cauſa, quod dormientes, & properè oculos diducen-

tes, lucem intuemur. Nempe, inquit Alexander, quod viſibilis ſpiritus coactus, ac contractus, plurimusq; effectus inter dormiendum, repente ac multiplex exiens, per tenebras vtpote gradiens, ipſe ad videndum fulgentior euadit. Legimus in naturali hiſtoria, Tiberio Cæſari aliam quàm cæterorum mortalium fuiſſe naturam, vt expergefactus noctu, pauliſper haud alio modo, quàm luce clara contueretur omnia paulatim tenebris ſeſe obducentibus. Idem ferè Tranquillus quoq; de eodem recenſet Imperatore. Cæterum nos poſteaquam multa ſatis de ſomni ratione congeſſimus, claudamus elucubrationem hanc Academicis placitis. Platonem accepimus, in cibo & potu tanta fuiſſe continentia, vt non ſolum delicatiores epulas & opipara conuiuia ſpreuerit, ſed tantum duntaxat cibi per omnem vitam ſumſerit, quantũ ſatis eſſet ad vitæ neceſſitatem. Oliuis modo Academicis & vili pane, atq; interim aqua contentum fuiſſe, prodidêre. Quem victum quantum

tum ſomni ſequi veriſimile eſt, tantum dormire ſolitum, ſcilicet nòn plus, quàm quod ſatis eſſet ad euitandam ex nimia vigilia malam valetudinem. Cæteros etiam, quod ex primo libro de legibus patet, ſolebat admonere, vt nocte ſurgerent ad res tum publicas tum priuatas obeundas. Somnum enim immedicum & corpori & animo obeſſe, dicebat; parumq́; inter mortuum & dormientē intereſſe. Itaq; vt quiſq; viuere & ſentire cuperet, ſic vigilare oportere, quantum ſalua corporis valetudine id fieri poſſet. Hinc arbitror illa profluxiſſe Ariſtotelica ex libro de animalium generatione quinto: Somnus autem talis ſua natura eſſe videtur, vt viuendi & non viuendi interlimintum ſit, & neq; omnino ſit qui dormit, neq; non ſit. Viuitur enim potiſsimum vigilia, propter ſenſum. Et in præfatione naturalis hiſtoriæ Plinius: Dum iſta muſsitamus, pluribus horis viuimus: profectò enim vita vigilia eſt. Propterea Ariſtonis illud vero verius eſt: Breue admo-

dum viuendi tempus eſſe homini contributum: nam ſomnus veluti publicanus, dimidium aufert. At Leontinus Gorgias ſenio iam feſſus, ac perimbecillis, cum in ſomnum collapſus iaceret, ac familiarium quiſpiam accedens ex eo, vt haberet, ſcitari inſtitiſſet, ἤδη, *inquit,* μὲ ὁ ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ, *id eſt, iam me apud fratrem deponere adortus eſt ſopor.*

Hieronymus Fracaſtorius lib. 2. de intellectione.

De ſomnijs autem acturi operæpretium putamus, vt prius de ſomno agamus, quid ſit, & quomodo fiat, ſed ne hoc quidem perquirere poſſumus, niſi prius de vigilia egerimus, quæ breui fient. Vigilare autem tum dicitur animal, cum & ſentit & ſtat, & motus exercet voluntarios: quæ tum fieri ſolent, cum anima ſpecie boni mota tranſmittit liberè ſpiritus ad membra extrinſeca exercenda per ſenſum & motum. Primum igitur, quod requiritur, eſt ſpecies boni

in anima interiori, quæ in actu ſit, & diffunditur ab ipſa vſq; ad membra exercenda, quare facta, & ſpiritus neceſſarij & ſeruientes tranſmittuntur ad ea membra, & reguntur pro eo fine. Si igitur ipſa membra bene diſpoſita ſunt, ſi & viæ liberæ, & non impeditæ: ſi & ſpiritus apti: ſi & ſpecies mouens animam conueniens ſit, tum fit membrorum exercitatio, & vigiliæ opera: quod ſi in aliquo horum defectus fuerit, impediri finem accidit. Si enim membra ipſa malè affecta fuerint, vt ſtupefacta aut reſoluta, aut inciſa, tunc nec ſtare, nec ſenſum obire, nec motus poſſunt. Similiter ſi & via aut oppilatæ nimium extiterint, aut ablatæ, idem ſequitur. at verò & ſi ſpiritus inepti ſint, vt ſtupefacti, aut reſoluti, aut aliter impediti, non obtinetur finis: maximè autem cum ſpecies boni, quæ mouere animam debet, impedimentum vllum receperit. multipliciter autem impediri ſolet. Primum vel quod aliquod graue accidens illam opprimat & proſternat, vt lipo-

thymiæ, epilepſiæ, apoplexiæ, ecſtaſis, præfocationes, contuſiones, timores magni, & id genus; vel quod & poteſt & nullum graue accidens recepit, ſed tantum quod ſub labore quodam & certa moleſtia recipit exercere membra. vnde melius & ſuauius indicat ceſſare, vel quod intenta ad aliquid, quo delectatur, obliuiſcitur prioris intentionis exercendi membra. Tot igitur cum vigiliam impediant, ſomnum quidem non dicimus, cum propter defectum membrorum extrinſecorum animal nec poteſt ſtare, nec ſentire, nec moueri. Similiter, nec ſi viæ ſint oppilatæ atque infartæ, aut abſciſſæ, eum ſomnum non appellamus: ſi propter hoc animal ſenſum amittit & ſtationem. ſed neque ſi ſpiritus ipſi ſunt ſtupefacti, & immobiles: neque etiam, ſi graue aliquod accidens proſtrauerit animam, & ſenſum & omnem intentionem abſtulerit, ſomnum vocamus, ſed tum ſolum dormire animal dicitur, cum anima non omnino in aliis impedita, aut recipit ſub labore

quo-

quodam & diſplicentia exercitationem membrorum. unde magis gratam & ſuauem indicat ceſſationem, aut intenta ad aliquid, qua gaudet & delectatur, obliuiſcitur prioris intentionis exercendi membra. Sub labore autem & diſplicentia recipit exercere membra, cum aut illa iam fatigata ſunt, aut ſpiritus quodammodo feſſi & reſoluti: aut cum ſedes ipſius animæ interioris grauata eſt, hoc eſt nerui & membranæ illic exiſtentes; ſpiritus item pigri, torpidi, & via non plana, expedita. hæc enim cum concurrunt, tunc retrahitur anima ab exercitatione membrorum; & quieſcere amat, & intentio ceſſat exercendi, ſpiritus non tranſmittuntur, & ſic fit ſomnus. qui propterea placidus & ſuauis dicitur, quod ceſſationem illam anima, uti gratum recipit, contrarium autem, uti graue. hæc autem grauitas, & labor animæ maximè accidit, cum euaporatione multa ſurſum lata nerui relaxantur & opplentur: ſimiliter & membranæ circa cere-

brum

brum & venæ, vnde & ſpiritus graues redduntur, & pigri. quare anima ipſa laborem quendam percipit in mouendo ipſos, in tendendo neruos, & membranas, quas tendi oportet in vigilia. hi autem molles ſunt & graues, quibus de cauſis ceſſare ab opere ſuaue ab anima iudicatur. Euaporatio autem, vnde hæc accidunt, interdum à cibo & potu fit, interdum à quibuſdam epotis, quæ frigidiſsima ſunt, & craſſa & ſomnifera dicuntur. inter has verò euaporationes & ſomnos, qui ab his fiunt, hoc intereſt, quod quæ à cibo & potu fit, naturalis eſt, & finem habet in natura, quo animal reſtauretur à fatigatione in vigilia: qui verò ab epotis frigidis ſomnus fit, violentus eſt, & ad ægritudinem magis refertur; quare non naturalis dicitur. Naturalis quoq; & ille ſomnus eſt, qui fatigatis multum membris, tametſi non cibum & potum capiat animal, proſtratum tamen ſomno capitur. habet enim finem in natura reſtauratio. Videtur igitur, quod ſomnus ſit ceſſatio animæ interio-

terioris ab exercitatione membrorum in ſenſu & motu non per impotentiam, ſed ob id ſolum facta, quod melius, & ſuauius iudicat ceſſare, quàm mouere. quod fit aut euaporatione multa grauante, & opplente ſedem animæ, aut fatigatis membris, & ſpiritibus: aut facta obliuione prioris intentionis ex intentione in aliud, quod delectat. & hoc enim ſæpe accidit, vt infantibus, quibus nutrices per cantilenas ſomnum inducunt.

Eſt igitur ſomnus alius ſimpliciter & vniuerſaliter vigiliæ oppoſitus, alius ſecundum quid, & in parte ſolum. Simpliciter quidem, quo & ſenſus omnes & motus voluntarij ligati ſunt: ſecundum quid autem & in parte tantum, in quo vel non ſenſus omnes ſunt ligati, vel ſenſus ipſi quidem ligati ſunt, motus autem voluntarij non. Nam, quoniã neq; idem ſpiritus, neq; eadem via, neq; eadem ſpecies ſunt ſenſuum omnium & motuum, fieri quidem poteſt vt plures ligentur ſenſus, nõ tamen omnes, vel ſenſus quidem

dem ligentur, motus autem voluntarij non. qua de cauſa accidit ſæpè, vt dormientib. nobis ſenſus quidem ligati ſint, voluntarij autem motus non. ſiquidem & quidam dormientes ſurgunt tamen, & ſeſe veſtiunt: & nonnulli domo exeunt. facta enim phantaſia ſurgendi, quanquam ſopiti ſint ſenſus, motus tamen illi fieri poſſunt, qui à phantaſia dependent, quoniam non ſimpliciter dormiunt. Interdum nō omnes ſenſus dormiunt, ſed aliqui tantum; propter quod ſomnus infantibus irrepit ſenſim ex cantilenis: intenta enim anima ad aures & cantum, obliuiſcitur oculorum & cæterorum membrorum, vnde & ſpiritus, qui ad membra tranſmittebantur, recurrunt ad ſuum principium, quam ceſſationem recipit anima vt ſuauem: & in oculis & in alijs membris dormit, quamuis ſecundum aures vigilet. verum & in his paulò poſt dormiet. percurrente enim ſpiritu ad ſedem animæ, & cum eo humore aliquo, grauatur ſenſim ipſa, & quietem ſimpliciter amat:

vnde

vnde ſimul etiam aurium obliuiſcitur, ac dormit. ſimiliter & pedum frictio ſolet ſomnũ allicere eadem de cauſa. idem facit & lectio, & auſcultatio, & accubitus, & in vniuerſum omnia, quæ leuem voluptatem in certis membris inducunt. multa verò ſi ſit, vigiliam parit, quoniam attentionem poſcit. oportet ergo, vt non multa ſit voluptas illa, & nulla alia ſit ſpecies, quæ attrahere ad ſe animam poßit, vnde ſomnus conciliatur. Quo ingenio vtuntur medici ad ægros, qui dormire non poſſunt, per cadentis guttæ leuem, & placidum ſonum. alij cunabula inuenere, alij penſiles lectulos, alij alia.

Leuinus Lemnius de occultis naturæ miraculis lib. 2. ca. 5.

De ijs qui ſubducto lecto, ſomnoq; oppreſsi ambulant, ac perreptant culmina, ædiumq; tabulata, multaq; perficiunt dormitantes, quæ vigilantibus acceſſu adituq; ſunt difficilima. quæque ſumma cura perficere præſtareq; nequeant.

Cont. n-

Contingit nonnullos in florenti equidem, viuidaq́; ætate (nam ſeniculi vtpote ſpiritu vitali vel extincto, vel flaccido, tale quiddam moliri nequeunt, vt qui etiam in genialis thori aſcenſu ſegnes ſunt ac tardiuſculi) intempeſta nocte, vel antelucano, exilire, ac lecto ſe ſubducere, quæq́; acceſſu adituq́; vigilantibus ſunt difficilima perficere, eaq́; tam inoffenſe peragere, vt nemini non ſpectantium admirationem ſtuporemq́; incutiant. Quod ſi illos non interpelles, nec ab incepto reuoces, ſenſim ſe denuò in lectum referant. Cæterum cum iſta obeunt, ſi illos nota agnitaq́; voce, aut eo nomine, quo Chriſtianiſmo ſunt inſigniti, ac baptiſmo initiati, compellare pergas, ex conſternatione, incuſſoq́; terrore, ac perturbatione decidunt, diſſipatis ſcilicet ſpiritibus diſcuſſaq́; vi ac facultate naturali, qua illa perfecerunt: itaq; permittendi ſunt ſuo motu ferri, atq; in priores ſedes ſe ſponte recipere. Qui verò incubo opprimuntur, nocturnisq́; ſuppreſſionib. fatigantur, quod fit,

vbi

vbi cordi ac cerebro fuligineſi denſiq́; ſpiritus incumbunt, vellicari debent proprioq́; nomine excitari. Confeſtim enim, etſi non magnopere vocem intendas, ſibi reſtituuntur, atq; ad ſe redeunt, diſcuſſis ſcilicet fumis, ac ſubſidente ſanguine, qui per riuos ductusq́; venarum diffunditur. Magna autem ex parte hic affectus ineunte vere illos corripit; qui aſſiduè ventriculi cruditate laborant, quiq́; frequentius in dorſum ac reſupini decumbunt. Quo fit vt patulis oculis atq; inconniuentibus, apertoq́; ore atq; hiante, magno valetudinis incommodo ſomnum capiant. Subitò enim velut graui ingruente mole eam anguſtiam percipiunt, vt ſuppreſſa voce ſuſpiria gemitusq́; plorabundos edant; qui tamen, vbi quis inditum illis nomen inclamat, ocyus ſe in latus deuoluunt, illasq́; Striges ac Lemures, quibus ſe opprimi imaginantur, excutiunt. Contrario modo afficiuntur noſtri ambulantes: Illi ſiquidem clauſis oculis in tenebris dimicant, ac ſtrepitu tumultuq́;

omnia complent, nonnunquam ſilentes ſurſum deorſumq́ rapiuntur, ac nullo fulti adminiculo ſumma tectorum faſtigia aſcenſu ſuperant. Quæ ab ijs fieri perſuaſum habeo, ex ſanguine turgido ac ſpumanti, tum æſtuoſo feruidoq́ ſpiritu, quæ in mentis ſedem delata animæ vim ac facultatem, qua functiones ſuas perficit, parteſq́ inſtrumentarias ad actiones impellit, agitant, atque ad huiuſmodi motus effectuſq́ concitant. Quo fit vt corpus ſpiritus animalis impulſu, qui neruorum ac muſculorum robur, hoc eſt, ſentiendi mouendiq́ munus in cerebro continet ac tuetur, in ſublime feratur, eiuſq́ vi etiam per ſomnum ad tales actiones incitetur. Sunt autem iſtiuſmodi conditionis homines raro laxoq́ corporis contextu, ac molis exiguæ, ſed magna ſpiritus agilitate, animoq́ feruido: Vnde euenit, vt ſi vel extremis manuum pedumq́ articulis prehendant aliquid, ſe librent ac fulciant, contactuſq́ tabulatis adhæreſcãt. Simile enim quiddam ijs corporibus accidit,

cidit, quod turbinatis illis dolijs, quæ apud Belgas Oceani oſtijs inijciuntur, quò nautæ fidam ſtationem, tutumq́ portum conſequantur, ac loca vadoſa, ſcopuloſq́ latentes declinent. Illa ſiquidem licet ferreis laminis obducta ſint, cateniſq́ reuincta, ac ponderoſo ingentiq́ ſaxo alligata: fluitant tamen, ac mari innatant, nec niſi dehiſcant, in imum deuoluuntur: quoniam ſpiritu ac flatibus, aëreq́ copioſo, adhibitis in eum vſum follibus, oppleta ſunt; Sic iſti quoniam flatibus turgeſcunt ac ſpiritu aëreo implentur, in ſublime rapiuntur, ac ſuſpenſo leniq́ gradu vt limaces ac cochleæ, quæ cum oculis carent, protenſis cornibus prætentant iter, editiſſima quæq́ perreptant, nocturnaſq́ ambulationes perficiunt. Quod verò inoffenſè nulloq́ corporis incommodo iſta peragant, nec labi contingat, aut in præceps agi, eò fit, quod ſenſim ac nullo metu, nullaq́ trepidatione, aut diſcriminis reſpectu iſta aggrediantur, quæ plærunq́ vigiles à rebus anxijs ac periculoſis vel

auocare ſolent; vel deterrere. Siquidem non alia ratione hæc attentare ſolent, quàm ebrij ac mente capti, qui incònſultè, magnaq́; temeritate atq; audacia, pericula quæq; aggredi non metuunt, quibus ſi poſtridie, aut vbi mente conſtare cœperint, in memoriam reuoces, quid egerint quantaq́; diſcrimina ſubierint: omnia prorſus excidiſſe ſibi ingenuè fatentur, totoq́; corpore horreſcunt, cùm ab alijs, quibus ſe periculis obiecerint, quaſúe tragœdias atq; intemperies excitarint, referri audiunt. Quod ſi huiuſmodi corporibus humores minus exæſtuent: minorq́; ſit ſpirituum ardor atque agitatio, vociferari tantum illos ac ſubſilire contingit, ſed lecto ſpondæq; inhærere: neq; enim tam validi ſunt, tamq́; violenti ſpiritus, vt ſubtollere corpus poſſint. Quibuſcunq; enim, Hippocrate teſte, cerebrum incaleſcit, quod billoſis fit, non pituitoſis, hi noctu clamitant, ac tumultuantur, præſertim ſi tumultuosè ac feruidè ſua negocia, actionesq́; diurnas perficiunt, rerumq́;

ſua-

300

ſuarum ſatagunt : *Vt ſunt Ardeliones quidam, hoc eſt, homines inquieti ac iactabundi, qui omnibus ſe negocijs ingerunt, atq; vltrò citroq; diſcurſant, miriſq; vtuntur geſtibus, quos etiam ex oculis deprehendere licet, ex vultu, inceſſu, veſtitu, totoq; corporis habitu, quorum ſingula varijs modis componunt atq; immutant, aliamq; perſonam ſubinde ſibi aſſciſcunt, nempe vel hiſtrionis, vel palæſtritæ, aut deniq; agyrtæ, hoc eſt, circumforanei circulatoris, qui ad nugas plebem conuocat: Quo fit vt in ſomno exiliant, ac plauſum ſtrepitumq; excitent, ob ſimulacra quæ ſenſui occurrunt, quæq; voluntati atq; actionibus diurnis correſpondent. Sic ſinguli noſtrum, cum interdiu intentè aliquid agimus ſerioq; tractamus, earum rerum ſpecies ac ſpectra noctu animo obuerſantur, voceſq; clamoſas ac turbulentas extorquent. Quæ enim toto die nos fatigare vrgereq; ſolent, inclinato iam die in cerebrũ aſſiliunt, nocturnaſq; intemperies excitant, aut ſaltem men-*

tem ijs occupatam detinent, vt ſomnus non ſit placidus, ſed obiectis imaginibus identidem interrumpatur.

Petrus Salius Diuerſus de affectibus particularibus cap. 18.

De dormientibus qui vigilantium munia obeunt.

DVm homines vigilando munia animalia exercent, ſpirituum opulentia in eis imminuitur ac diſperditur: hinc labor in obeundis his functionibus ſuccedit, indeq́ non poſſunt mortales perpetua ſenſuum agitatione frui. Huius merito ex naturæ præſcripto animantibus irrepſit ſomnus, vt per eum, quieſcente omni animalis motu ac ſenſatione, deperditi ſpiritus regenerentur, ac vires, quæ non tantum per motum ſenſationemq́, verum etiam per animales functiones obitas languent, reſtaurentur. In ſomno quieſcit cerebrum, primum omnium ſenſationum inſtrumentum, & eo quieſcente, ceſſat homo ab omni motu & ab omni ſenſuum functione: dumq́

hoc

hoc pacto ſe habet, in eo non tantũ nerui, muſculi, membraq́; omnia, & præcipuè cerebrum, verum etiam omnes ſenſus conſopiri videntur: quare tunc nec mouetur homo nec ſentit. Attamen hic in ſomno non ita motu ac ſenſu priuatur, vt nuſquam moueatur aut ſentiat. Seruantur enim in dormientibus plurium muſculorum motus, vt clarè apparet in his, qui excretionibus ſuperfluitatum retinendis, & qui mandibulæ inferioris retractioni, & qui reſpirationi, & qui alijs huiuſcemodi functionibus deſtinati ſunt, ſed clarius in his, à quibus purè & ſimpliciter voluntarij motus dependent, quorum ratione dormientes ſæpe brachia & crura agitantes de loco ad locum mouentur. Seruantur etiam in multis ſenſus exteriores: Hinc aliqui vocem cantantis galli vel latrantis canis dormientes audiunt & dignoſcunt, & lumen præſentis lucernæ verè agnoſcunt, ſaporesq́; rei guſtum afficientis dijudicant, fœtentiaq́; ac malè olentia diſcernunt: aliqui autem clarè

loquuntur, & alta voce quandoq; clamant, quidam etiam ad interrogata reſpondent, cuius merito nonnulli propria ſecreta in ſomnis cæteris aperuerunt. In nonnullis tamen adeo exteriores ſenſus conſopiuntur, vt nihil ad extra percipiant, ſed tantum interius phantaſiâ rerum idola repræſentante, apparent dormientibus inſomnia, in quibus ſibiipſis videntur audire, videre, loqui, diſcurrere, comedere, currere, pugnare, & cætera omnia patrare, quæ vigilando operari conſueuêre. Hæc inſomnia aliquando clara & certa, aliquando incerta & confuſa videntur, prout rerum ſpectra vel clarè vel confuſe imaginationi repræſentantur. Nonnunquam tamen in quibuſdam hæc ita euidentia apparent, vt dormientes ipſi, tanquam ex propoſito ac ex induſtria aliquid agentes, è lecto ſurgant, & modò ſuperiores domus partes, modò inferiores adeant, modò domo exeant ad exequenda ea, quæ verè imaginantur ſe facturos eſſe; hincq; in maximum diſ-

cri-

crimen alicuius præcipitij deducuntur. 302
Hoc quamuis difficile ſit imaginari rariſsimeq́; contingant tales caſus, cum in ſomno, quieſcente primo ſenſitorio (id eſt cerebro ipſo) debeat dormiens ab omni functione, tã motiua quàm ſenſitiua deſtitui, & ideo videantur dormientes nec poſſe moueri aut ſentire: tamen teſtimonia habemus celeberrimorum virorum, affirmantium in ſomno aliquando ſeruari motũ, aliquando cum motu ſenſus ipſos, quod idem experientia ipſa in pluribus hoc euenire teſtata eſt. Galenus enim lib. 2. de muſculorum motu cap. 4. narrat quoſdam dormiendo deambulaſſe, & teſtatur ſe ipſum dormientem & ſomniantem integrum ferme ſtadium peregiſſe, nec à ſomno, priuſquam in lapidem impegiſſet, excitatum fuiſſe, quam cauſam affirmat eam eſſe, propter quam non queant dormientes, quia læuem viam exactè nanciſci non poſſunt, iter longum facere, innuẽs ex hoc multos, ſi per planam viam progrederentur, longè proficiſci poſſe. Ariſtoteles au-

tem lib. 5. de generatione animalium, capite primo, affirmat in ſomno nõ tantum motum, verum etiam ſenſus ſeruari poſſe. hac verba habens: Accidit enim dormientibus etiam animalibus ſenſus non modò qua ſomnia vocantur, ſed etiam præter ſomnia, vt ijs qui dormientes reſurgunt, & quidem pleraq; agunt ſine ſomnis: ſunt enim qui dormientes reſurgunt & ambulent videntes eo modo, quo qui vigilant, ijs enim qui ſenſus accidentium contingit, quanquam non vigilantibus, tamen non vt ſomnium. Ex quibus verbis claram eius habemus ſententiam, quod in dormientibus quandoq; ſeruentur motus & ſenſus, & hoc non per ſomnium, quaſi dicat, quod per ſomnium hoc eis non contingat, ſed quod dormientes & non ſomniantes moueantur & videant, tanquam ſint vigilantes. Quod affirmarũt hi duo inter Philoſophos & Medicos celeberrimi viri, idem mihi experientia comprobauit. Iuuenem noui, qui ſomnians ſe propter negotia ſua equitaturum

rum eſſe, è lecto ſurgens, indutus veſtimentis proprijs, cothurniſq; & calcarib. appoſitis, ſuper feneſtram (nam in tabulato degebat) conſcendit, & hinc indeq; diuaricatis cruribus parietem, perinde ac ſi equus eſſet, & voce ac calcaribus ad curſum incitabat: hic ex ſomno expergefactus, tanto horrore correptus eſt, cogitans ſe per ſomnium mortem ferè ſibi ex præcipitio conſciuiſſe, vt me die ſequenti conſuluerit ad prohibenda hæc inſomnia, quæ ipſum ad obeunda vigilantium munia deducebant.

Alterum curaui, qui cum natura iurgioſus & contentioſus cũ alijs foret, vt plurimum ſomniabat ſe cum aliquo manum conferre, indeq; ſurgens è lecto arma capiebat, gladiumq; euaginatum furioſè vibrabat; perindeq; ac cum inimico pugnans, vndiq; parietes & circumſtantia loca percutiebat, hunc ſolum in thalamo dormientem claudere, armaq; omnia inde auferre, ne vel ſeipſum vel alterum gladio confoderet, in poſterum neceſſarium fuit, tam diuq;

ſolus permanſit dormiens, quàm diu ſe cognouit à talibus inſomnijs deprehendi. Præter hos artificem cognoui, qui dormiens è lecto ſurgebat, è thalamoq́; exiens domum ferè totam peragràbat, ſcalasq́; nullo diſcrimine aſcendebat & deſcendebat. Hic ſemel nullis indumentis amictus exiens apothecam propriam adiuit, eamq́; clauibus aperuit, à qua demum expergefactus ab amicis, qui ei fortè obuiam facti fuerunt, maxima cũ verecundia & timore, dubitans ne inde ſtultus exiſtimaretur, non amplius dormiens, ſed vigilans rediuit. Dum hæc ſcriberem, accerſitus ſum ad inuiſendam adoleſcentulam annum decimũ nonum agentẽ, quæ decima die à puerperio media nocte, ſomnians ſe quædam domeſtica negotia acturam eſſe è lecto hyeme ſæuiente, nullis indumentis amicta ſurrexit, & cum è thalamo hec imaginatione ducta in partes domus inferiores deſcendere vellet, ſtrepitu facto dum oſtium aperiret, matrem, quæ vnà cum filia in eodem lecto decumbebat,

exper-

expergeſecit, qua mater, nouitátem rei ad'mirans, filiam alta voce clamans, eam increpando vocauit: ex qua voce expergefacta ipſa filia ad lectum rediȷt, affirmans ſe niſi à ſomno excitata fuiſſet, è thalamo exituram eſſe. Hinc ad viginti quatuor dies, cum marito dormiens, ſimiliter circa nonam horam noctis ſubito è lecto exiliens, & ad oſtium properans, expergefacta à viro, eam alta voce vocante flens & tremens ad lectum regreſſa eſt, narrans ſe ſomniaſſe, fugere ex lecto tunc temporis voluiſſe, ad euitandam vim ſibi illatam ab homine, Venerem ab ea expetente. hæc eadem cum ſimilia inſomnia ſæpius paſſa ſit, & hinc timeat ne quid mali ei ex hoc contingat, me ad eam curandam accerſiuit. Alias his conſimiles hiſtorias referre poſſem, tamen hæ ſufficiant vltra teſtimonia Galeni & Ariſtotelis, ad confirmandam hanc ſententiam, quod aliquando in dormientibus vel motus tantum, vel ſimul cum motu etiam ipſi ſenſus reſeruentur. Qui dormientes

quomodo contra formalem rationẽ ſomni (qui eſt ligamentum primi ſenſiterij, per quod animal ab omni ſenſu & functione animali, ad regenerationem ſpirituum & ad reſtaurationem virium ex vigilia diſſipatarum, quieſcit) vigilantiũ munia, quæ ſunt ſentire & moueri, obire poſſint, non ita facilè eſt explicare ac certam rationem reddere. Si tamen ad hoc ego probabilia (alij hanc rem demonſtratiuis explicabunt rationibus) adducam, ſatis mihi feciſſe videbor, ita horum affectuum cauſas expoſiturus. Anima corpori annexa, vt docet Hippocrates in libello de inſomnijs, eidem, dum vigilat homo, ita inſeruit, vt in multas partes diſtributa, ſingulis corporis partibus ſiue ſenſibus aliquam ſui partem diſtribuat, videlicet auditui, viſui, tactui, guſtui, greſſui, actioni, ac omni corporis facultati, in hacq; diſtributione non ſui iuris eſt anima, ſicuti nec in cogitatione: non enim non poteſt corpori ſuas facultates impartiri, & non poteſt continuè aliquid nõ cogitare. Cum au-

autem corpus quieſcit, anima adhuc in motu eſt, & corporis partes omnes perreptans, eaſdem gubernat, & omnes corporis actiones perficit. Nam corpus dormiens non ſentit, ipſa verò vigilans cognoſcit, ac viſibilia videt, & audibilia audit, vadit, tangit, triſtatur, gaudet, conſiderat: & in ſumma quæcunq; corporis aut animæ munia ſunt, ea omnia anima ipſa in ſomno obit, dum anima, ſiue vigilando ſiue dormiendo hæc agit, ſemper omnia quæcunq; agat, mediantibus ſpiritibus, qui ſunt propria & immediata ipſius animæ inſtrumenta, exequitur. Vnde in his, in quibus ſpiritus ſunt perfectiores, ſemper anima proprias functiones, vbi organa naturaliter diſpoſita fuerint, excellentius operatur, in quibus autem hi ſint imperfecti, diminutè & imperfectè ſuas producit operationes. Spiritus perfecti & imperfecti redduntur ex puritate & impuritate ſanguinis & humorum, quales enim ſunt corporis noſtri humores, tales ſunt & ſpiritus. Qui ſpiritus

in aliquibus ſunt puri, ſubtiles, ætherei & clari, in aliquibus ſunt impuri, craſſi, turbidi & nebuloſi. Qui hos habent, ſicuti nec vigilando perfectè, vel ſenſus vel mentis munia obeunt: ita nec dormiendo ſomniantes clarè rerum imagines, ſenſibus & menti iam oblatas, & in phantaſia reſeruatas, circumſpiciũt: in hiſq; præ nimia ſpirituum & humorũ impuritate, ac humiditate, vel nulla vel pauca & confuſa videntur ſomnia; præ nimia enim turbatione & craſſitie tum ſpirituum, tum humorum, rerum idola clara & euidentia repræſentari nequeunt. Qui autem ſpiritus claros, ſubtiles ac æthereos habuerit, ſicuti in vigilia perſpicax, ad actioneſq; promptus, & ad motum facilis exiſtit; ita in ſomno rerum imagines clarè diſcernit, eaſq; adeo euidentes ac euidenter conſpicit, vt perinde ac in vigilia, ea omnia, quæ cogitationi offeruntur, tanquam vera imaginetur, eaq; ſedulitate, qua vigilans in eiſdem actionibus vteretur, hæc omnia mente exequatur, eo ordine

quo imaginationi repræſentãtur. Quod ſi vltra ſpirituum tenuitatem ac ſubtilitatem dormiens ſit fortis imaginatiua, quales ſolent eſſe qui melancholici ſunt habitus, in quorum nonnullis rerũ imaginationes ita fortiter ac vehementer imprimuntur & adhærent, vt nullis argumentis diſſuaderi aut ab his amoueri queant, in his hoc cauſatur, quod eis dormientib. ſomnia ita euidentia ac fortiter imaginata repræſentantur, vt vera magis hæc credant, quàm ea quæ ipſis vigilantibus offeruntur, hincq́; in his ſomnijs, tota mente ac totis viribus agentes, eas functiones, dominante anima præ ſpirituum tenuitate ac forti imaginatione ipſi corpori, perinde ac ſi vigilarent operantur; & inde ſurgunt è lecto, ambulant, pugnant, ijſdemq́; proprijs operationibus, quæ ſomniantes imaginantur, ſe addicunt ac operam nauant. Quod ſi in his dormientibus etiam ſomnia non repræſententur, vbi tanta fuerit cum forti rerum imaginatione ſpirituum tenuitas & ſubtilitas,

poſſunt in his ab anima ita ſenſibus ipſis propriæ facultates impartiri, vt dormientes quidem non tamen ſomniantes, videant & audiant, cæteraſq́ ſenſuum functiones euidentes habeant: indeq́ nonnulli dormientes iter inceptum proſequuti ſunt, alij domus partes ipſis notas circumierunt ſuperioraq́ ac inferiora adire potuerunt; alij ad loca familiaria, quæ ipſi videntes ab alijs diſcernere potuerunt, progreſſi ſunt, quod eſt id, quod philoſophus per ea verba teſtabatur, dicens: Sunt enim qui dormientes reſurgunt & ambulant, videntes eo modo quo qui vigilant: ijs enim qui ſenſus accidentium contingit, quanquam non vigilantibus, non tamen vt ſomnium. Cauſa igitur quod in dormientibus vel motus tantum vel vna cum motu, etiam ſenſus ipſi reſeruentur, erit fortis imaginatiua vna cum ſpirituum tenuitate & ſubtilitate. Quoniam autem fortis hæc imaginatiua in melancholicis vt plurimum adeſſe ſolet, ideo animaduerto, talia accidentia vt plurimum

rimum cauſari in his qui melancholici ſunt habitus, teſtorq́, me tales affectus in conſimilibus hominibus curaſſe, in quibus etiam ſpirituum tenuitatem & ſubtilitatem ineſſe conieci. hos enim loquaces, promptos, impigros, facilè iraſcibiles & verſatilis ingenij eſſe obſeruaui. Quos cognoui facilius in hæc incidere inſomnia & dormitiones, vbi quibuſdam paßionibus irretiti eſſent, in his enim omnis imaginatio repræſentat id, à quo ijdem facile patiuntur & afficiuntur, & hi ab omni leui imaginatione & ſimilitudine facilè in proprio affectu decipiuntur ac circa eandem ſupra modum ſolliciti ſunt; circa enim ſenſus (vt dicebat Ariſtoteles in libro de ſomno & vigilia) facilè decipimur, cum in paßionibus exiſtimus. Vnde à modica ſimilitudine trepidus imaginatur, & putat ſe hoſtem videre, amans autem dilectum inſpicere, iracundus ſtimulantē præſentire, & hic quanto magis paßibilior fuerit, tanto magis à minori ſimilitudine decipitur. Vnde huius

ratione, qui fortem rerum imaginatiuam vna cum ſpirituum tenuitate habuerint, ſi paſsionibus afficiatur, in hæc inſomnia procliuis erit: ac etiam vbi non ſomniauerit, dormiens poterit, ductus à leui ſimilitudine & imaginatione, vigilantium munia obire. Hæ penes me ſunt eæ cauſæ, ex quib. coniÿcio dormientes non præter rationem poſſe moueri & ſentire. Quas qui animaduertent, facilè nouerint, quibus præſidÿs ſuccurrendum ſit ÿs, qui talibus affectionibus detinentur. Cum enim, vt ex prædictis liquet, tenuitate ſpirituum ac forti imaginatione hi dotati ſint, quibus etiã adduntur ſæpe paſsiones quibus irretiti ſunt: quæ omnia in melancholicis habitibus promptius, quàm in cæteris quibuſcunq; reperiuntur ac firmantur, ideo ad talia inſomnia ac dormitiones prohibendas, & ſpiritus craſsiores reddere, & imaginationem minus tenacem efficere, melancholicum habitum temperare, & affectus ipſos in talibus patientibus corrigere debemus. Quos curabimus

bimus, non quia hæ affectiones ſint morbi, vel quia ab his malum aliquid ſimpliciter immineat; ſed quia hi dormiendo poſſent ex inſomnijs ad præcipitia deduci, vel ad aliqua peragenda concitari, ex quib. vel mortem incautè ac inconſiderate ſibi conciſcerent, vel alijs inferrent, cuius ratione, non autem quia ex inſomnijs aut ex ſomno lædantur, huiuſcemodi patientes conſulere medicos, ad tales ſomnos prohibendos, & ad talia inſomnia profliganda conſueuêre. Quod vbi contigerit, Medicus hac via quatuor indicationibus obuiabit. Primo nimiam ſpirituum ſubtilitatem corriget, eos craßiores reddens: hoc autem faciet; humores, ex quorum puriori & ſubtiliori parte hi regenerantur, incraſſando: hos verò incraſſabit, ſi alimenta craßi ſucci patientibus exhibenda præſcribat, talia erunt carnes bubulæ, leporinæ, ſuillæ & cochleæ, caſei omnes, oua ad perfectam concretionem cocta, fercula ex farina ſubacta, piſces molles, ſicuti loligines, ſepiæ, polypodes, anguil-

læ, legumina, caſtaneæ, rapæ, nuces pineæ, vina dulcia & craſſa, & quæ huiuſce ſunt ordinis. Secundo imaginationis tenacitati ac fortitudini proſpiciet, cerebrum, ex cuius ſicca intemperie hæc dependet, humectando: in quo caſu præter victus rationem humectantem præſcribendam, maximè prodeſſe poterunt embrochæ & lotiones capitis, vel ſimpliciter ex aqua dulci paratæ, vel ex decoctionibus rerum, quæ eiuſdem ſint facultatis compoſitæ. Secundum locum ab his habebunt inunctiones ex oleis humectantibus, quale eſt oleum amygdalarum dulcium & violaceum, & præter hæc odoramenta ex aquis odoratis, quæ ſimiliter humectare queant. Tertio loco habitum melancholicum temperabit, præſcripta ea victus ratione, quæ nec retorridos nec aduſtos, ſed benignos humores generare poßit. quare humectantia alimenta, quæ tamen boni ſucci exiſtant, adminiſtrentur, & corpus ipſum ad humidum alteretur, quod potißimum aquæ dulcis balnea, quæ in

ſimi-

ſimili caſu cæteris omnibus medicamentis præferantur, præſtare poterunt; ſiq́; in his generati ſint, abundentq́; nigri & melancholici humores, lenibus medicamentis prius expurgentur. Vltimo vehementes intenſoſq́; animi affectus corriget, ſi patientes à proprijs & moleſtis negotijs abducat, ſi hilarem vitam præſcribat, ſi iucundas & gratas ſocietates adhibeat, ſi grauibus perſuaſionibus eos increpet, ſi ſolicitudines & omnes laborioſas curas interdicat. in ſummaq́; ſi hos in contrarium habitum traducat. His omnibus peractis, ſperandum eſt, hoſce patientes à talibus inſomnijs & dormitionibus liberatos eſſe, vnde verè iucundiſſimum ſomnum, qui omnium laborum & ſolicitudinum eis certũ exiſtat perfugium, capere poſſint. Si tamen ex prædictis non omninò nec integrè res abſoluta ſit (in nonnullis enim vidi admodum difficile eſſe tales affectiones ſoluere) deueniat Medicus ad aliqua leniter ſomnum prouocantia: in quo caſu felicitur quandoque ex-

pertus ſum, poſt cœnam ante ſomnum exhibere lac amigo dictum, ad quantitatem quinque aut ſex vnciarum, hinc enim leniter humectatur cerebrum, & leniter conſopitur, ſpiritusq́; illi tenues quodammodo incraſſantur. Quod ſi nec hoc ſufficiat: ad lenia ſtupefacientia deuenio, ſicuti ad fercula ex ſeminibus papaueris albi parata: ex quibus, prouocato profundiori ſomno, ac obtuſis ſpiritibus ipſis, adeò conſopiuntur homines, vt facultates ſenſitiuæ ac motiuæ proprijs organis ea viuacitate amplius communicari non poſſint, vt ex his dormientes vel deambulare vel ſentire queant. Validiora autem ſtupefacientia vitanda eſſe duco, non quod hæc nequaquam ſint apta talia inſomnia ſtupefaciendo inhibere, ſed quoniam in tali caſu, cum patientes non ſint inſomnes, nec vigilijs crucientur, in ſomnosq́; procliues ſint, ſtupefacientia talia nocumentum quàm iuuamentum facilius inferre poſſent. Vltra enim intentũ ac propoſitum terminum agerent, cerebrumq́; ac omnes ſenſus ni-

ſus nimis conſopirent, vnde inſomnia quidem prohiberent, ſed vel in Carum vel in Coma patientes deducerent: cuius ratione etiam exteriora ſtupefacientia, & cætera omnia ſomnũ prouocantia omittenda cenſeo, ſolisq́; prædictis vel ſimilibus præſidijs agendum eſſe iudico.

Antonius Mizaldus Cent. 4. Aph. 75. Memorab.

Plerique Noctambuli inter dormiendum opera vigilantium exercent, tecta in ſublime ſcandunt, per trabes & lacunaria oberrant, lectos aliorum adeunt, omniaq́; intrepidè audent, nec quicquam ſibi timent. Authores ſunt Albertus, Chriſtophorus Marcellus, Langius, Galenus, qui etiam noctambulum ſe fuiſſe teſtatur.

De noctambulorum inſomnijs Iohan. Langius in lib. 2. Epiſt. med. Epiſt. 45.

Cæterùm quando ex cauſarum ſomni mediocritate placidus obrepit ſomnus, diſcernendi tamen facultas adhuc va-

porum caligine obfuſcetur. Effectrix tamen viſorum facultas libera, nullis irretita vinculis ſibi conſtat, tum ex rebus quas vigilans geſsit, ſenſit, cogitauit & operata eſt, plurima ſomniorum ſpectra effingit, quæ tanquam vera dormientes amplectuntur. Vnde tandem ſolutis à colore accidentario, ſenſuũ ſpirituumq́; meatuũ vinculis & motus compedibus, vigilantium opera exercent, tecta in ſublime conſcendunt, per trabes & lacunaria in ædibus oberrant, lectos aliorũ adeunt, omnia intrepidè audent, nec quicquam ſibi timent, quoniam vis illa diſcernendi ſenſus communis adhuc vaporũ caligine conſopita iacet, nec pericula, niſi clamore experrecta, agnoſcit. Caſus enim ex abrupto, ſcribit Albertus, ijs q excelſa conſcendunt, tunc maximè accidere ſolet, cum pericula agnouerint & formidare cœperint, eoq́; virtutes roboris ad cor formidoloſum confluũt: lacertos, neruos, muſculoſq́; virtutis motiuæ organa deſtituũt. Dormientes igitur ſecuriores ſunt, acclamationibus verò experrecti præcipites cadunt. In-

INDEX
vtriuſq; tractatus.

A.

Aureum dentem ſignificare aureum ſeculum vitæ æternæ fol. 6. Vitæ huius 7
Aurum huius dentis quid ſignificet 8
Arte inſeri non potuiſſe 47. nec ex imaginatione matris prægnantis produci potuiſſe 48. multo minus ex alimento pueri iuxta metalli fodinas nato generatum eſſe 50. nec vi magica vel diabolica productum 53. partim autem naturalem, partim miraculoſum eſſe 54. primo obſeruatum viſumque eſſe 57. conſeruari partim naturali, partim miraculoſo modo 60. in vigore vitali eſſe 63. ſentire 64. Dentem ipſum aureum firmiorem eſſe, & minus affici morbis 71. aliquid boni præſagire 107. aliquid etiam ſiniſtri 108
Aurei dentis interpretationes quot 111. bonum præſagire puero 120. Domino hæreditario 121. Sac. Cæſ. Mai. 122. ſignificare bonum precioſum 127
Aureum regnum non de amplitudine intelligendum 127. de regno eminenti virtute & pace 128. quomodo dens aureus hæc ſignificet & cui 15. & 29. quando 130.
Ambulonum exempla 170. & 179
Apoplexia per accidens noctambulones efficiuntur 177
Ani-

Animam mente & voluntate maiora viribus ſuis agere 184
Ambulationem noctambulonum eſſe motum voluntarium 203
Animam hominis aliud quàm temperamentum, & opera illius in vigilante 215. indormiente 216
Actio noctambulonũ motiua deprauata 219

B.

Breuis narratio hiſtoriæ de Aureo dente 1
Bella à Cometis portendi 83.

C.

Chriſtophoro Mullero puero in Sileſia molaris dens aureus natus 1. Pueri temperamentum 25
Cometæ viſi 13.14. huius generatio 90. differentiæ 91
Chaſmata quid ſignificent 14. qualia 89
Cauſæ miraculorum diabolicorum 41
Columbi de dentibus opinio 65
Compoſitionem aurei dentis non variare à compoſ. aliorum dentium 71
Complexionem auri & dentis differre tantum menſura graduum 71
Coniunctiones magnas Planetas ſequi 81
Cometas Xerxi, Spartæ, Carthagini, Monarchiæ Græcorum, Hieroſolymis & vicinis regionibus damna portendiſſe 95. poſt occaſum Solis tardius operari 96
Collatio cauſarum & effectuum aurei pacis 143

Chy-

Chymica vera laude digna & rariſsima 115
Circumſtantias auri proprias interpretationes requirere 130
Conſeruatio noctambulonum eſt aliquid diuini 183
Cognati noctambulonibus 199
Cauſa obliuionis in noctambulonibus 203. in cæteris 204
Complexio noctambulonum inæqualis 206
Cerebrum frigidius & humidius cor & hepar calidius ſicciuſq; cauſæ noctamb. 226.

D.

Dens aureus primus à mundo condito 1. ſolari debet pios in Tyrannide Turcica 7. acceſsionem noui regni denotat 10. 123. ipſum, quia in lateris ſiniſtri maxilla ſit enatus, calamitates prius ſuſtinendas ſignificare 11. durat in alterum æuum huc vſque 25. vtrum naturaliter enatus ſit, nec ne 35. à multis Illuſtribus perſonis viſus 44. penitiſsimè inſpectus 46. à proceribus Sileſiæ vndiq; probatus 47. naturaliter augetur 60. vtrum ſit prodigioſus, nec ne 32. 80. eſſe prodigioſum 80. quid ſignificet quatenus dens 125. quatenus aureus 127. quatenus ſub ſacro Rom. Imperio creuerit 129. quatenus eſt vltimus 130. molaris 131. quatenus in ſiniſtra parte natus 133
Dentes ſiue creſcant ſiue minuantur aliquid ſignificare 9.

Dentium vitia 62. ſupereminens pars ſentit, licet obtuſius 65
Diuina miracula 33
Diabolica 36
Dentes ſeptimo ætatis anno emitti, appendices tantum illorum non integros naſci 57.
Dentium incrementum ex nutritione 61
Doctos de interpretatione prodigiorum ſollicitos eſſe debere 110
Diuina prouidentia in naturalibus 182
in noctambulonibus 184
Definitio noctambulonis 149. 195. 197
Differentiæ noctambulonum 197
Diæta in curatione noctambulonum 240.

E.

Etymologia miraculorum 33
Effectus miraculorum diuinorum 34
Diabolicorum 37
Efficiens cauſa aurei dentis principalis quæ 55
Effecta aurei dentis 77
Eclipſes & magnas coniunctiones Cometas ſequi 83
Enſiformes cometas prodigioſos 91
Effectus aurei dentis qui ſtatim poſt enatum prodijt 143
Exempla noctambulonum à fol. 171. vſque ad 179
Efficiens noctambulonis 214
Externæ cauſæ noctambulationis 226

Inter-

Internæ 129.

313

F.

Facultas naturalis in ſtructura dentis 56.
vitalis & animalis 57. generatrix 58
Forma aurei dentis quotuplex 70
Forma auri eſſentialis & occulta 73
Formam aurei dentis eſſentialem maxima ex parte miraculoſam eſſe 76
Finis aurei dentis quotuplex 76
Figura cœli in natiuitate pueri Sileſij auro dentati 85
Forma noctambulationis quotuplex 214.

G.

Gudenhouium arx Iorgerorum euerſa 101
Graues pœnas effectum dentis aurei præceſſuras 131
Graſſaturam eſſe rabiem diabolicam 132
Turcicam 133
Galenus de noctambulonibus 193. 259.

H.

Hiſtoria aurei dentis 1. 33. 43. 47
Hiſtoria de puella metalliuora Francofurdiæ 10. 130. de obſeſsis in Marchia hoc & ſuperiore anno 38. 150. 151. 152. 153. 154. 155. de Lemgouienſis cuiuſdam effaſcinatione 40

Hippiæ

Hippiæ Tyranno Athenienſ. dens excuſſus ſub ſecutura mala portendit 125
Hiſtoriæ diuerſorum noctambulonum 171. vſq; ad 179
Hiſtoria barbari ſerui morientis ex cohibita reſpiratione 181. ſolertiſsimi noctambulones 185
Hippocratis de noctambulonibus ſententia 189. 257.

I.

Imaginationem matris prægnantis aureum dentem neutiquam protuliſſe 2
Intimatio de aureo dente in Academ. Iulia Helmſtadij affixa 21
Iudicium de ijs quæ in Marchia facta ſunt 38. 153. 184. 155
Interpretationes aurei dentis nouem 1. ex imaginatione matris 2. ex alimentis 3. planè miraculoſum eſſe, ad redarguendam φιλαργυρίαν 4. ſignificare famem 5. præſagire auri dites fodinas 6. confirmare chymicam artem 7. præſagire aureum ſeculum vitæ æternæ 8. certam ſpem & ſolatium 9. præſagire acceſsionem magnæ potentiæ Sac. Cæſ. Maieſt. & toti imperio à fol. 111. vſq; ad 125
Impreſsio mentis in noctambulonibus obſcurior 216
Intellectus mentis ſupra naturam in noctambulonibus 158
Indicationes præſeruatiuæ noctambulationis 237. 238. curatiuæ 249

Lace-

L.

Lacedæmonijs exitium per Cometam comminatum 95
Labacum Carnorum metropolin terror Panicus concutit 106
Lunaticos non dici poſſe noctambulones 189
Lunatici propriè qui, & cauſæ 190. Epileptici 191. Similitudo cum ambulonibus 191
Lemnij ſententia de noctambulonibus 210.

M.

Miraculoſa in aureo dente quæ 5.79
Medicos plurimis de cauſis aurei dentis ſtructuram conſiderare 29.31
Miracula quæ & quotuplicia 33. Sæpe aliquid naturale habent 63. Diabolica ſunt ſigna iræ Dei & pœnæ peccatorum 80
Miraculorum diuinorum cauſæ 34
Materia dentis aurei 67
Materia auri in auri fodinis & puero Sileſio 68
Meteora prodigioſa quæ & quotuplicia 87
Marchiacorum terriculamentorum enarratio 103.150
Molarem dentem inferiorem magnas pœnas effectum aurei dentis præceſſuras comminari 131
Melancholicos raro noctambulones eſſe 208
Morbus noctambulonum,& eius cauſæ 228

Medicamenta in curatione noctambulonum 241. vſq; ad 247. In ipſo paroxiſmo 250. 251. extra paroxiſmum 252

N.

Naturalia quæ in aureo dente 2. & 77
Naturalis conſeruatio aurei dentis per vim nutricem & auctricem 60
Nutritionis aurei dentis modus 61
Naturalia prodigioſa in elementari regione 86
Noctambulonum doctrinam paucos credere 169
Noctambulones diuinitus regi & tegi 183. ab angelis iuuari 185. ſupra naturam perdurare, & præſagos mali eſſe 186
Naturalia in ambulonibus quæ 116. ſomniantes dici poſſe 188. Lunaticos impropriè 189. Hipp. de his ſententia 189. Galeni 192. Salij 223. Lemnij 193. 220
Noctambulonum definitio 194. 195. differentiæ 197. ſententiæ Philoſophorum 203. ſubiectum noctambulonis 206. quæ corpora ad hanc diſpoſita 211
Noctambulationis materia per quam 212. forma & efficiens 214. finis 217
Noctambulonum ambulationem ſymptoma actionis animalis cerebri læſæ 218. motiuæ deprauatæ & ſenſitiuæ 219
Neutrius conſtitutionis inæqualitatem potentiam tantum, morboſam verò actum

noctam-

noctambulationis ſecum ferre 272
Noctambulationis cauſæ quæ 272. 229.
ſigna 230. 231. 232
Noctambulationis præſeruatio 232. curatio 241. 247. quomodo in ipſo paroxiſmo inſtituenda 251. extra paroxiſmum 252.

O.

Occultà in rerum natura quæ 42
Oſſa & aurum cuius naturæ 71
Obliuiſci omnium noctambulones & quare 182. 203.

P.

Primi Problematis de aureo dente ſumma 1. ſecundi 5. tertij 6.
Pater pueri ChriſtophoriMulleri cuius conditionis 43
Præſagium ex terræ motu Viennenſi 181
Prodigia in terra duorum generum 101
Prodigiorum duplex interpretatio 109
Panicus terror infeſtat Auſtriam inferiorem 104. metropolin Carnorum 106
Pſeudochymici fugiendi 115
Prodigioſam dentium amiſsionem diminutionem corporis & fortunæ ſignificare 123. incrementum econtra 125
Pacis aureæ tempus 141
Philoſophorum ſententiæ de noctambulonibus 203
Petri Salij & Cœlij 207. Ariſtotelis 258. Lemnij 210.220

Philoſophiam poteſtate Medicinam eſſe 215.

Q.

Quomodo dens aureus ſentiat 65
Quomodo dentes ſecundum magis & minus frigidi dicantur 73
Qua ratione Turcæ perdomandi 163
Quare noctambulones omnium, quæ in ſomno egerunt, obliuiſcantur 182.203.

R.

Regnum potens & pacatum ab aureo dente ſignificari 9.122.123
Reichenbach oppidum elegans ducatus Suídnicenſis in Sileſia abeſt vno miliari pueri auro dentati 45.81
Rabiem diabolicam graſſaturam 132.
Turcicam 133
Rationes duæ cur noctambulones ſint 170.

S.

Stellæ nouæ conſiderationem 12.86
Sagittæ volantes quid portendant 88.
duæ viſæ 89
Siniſtram maxillæ inferioris partem ſiniſtris noſtrorum actionibus ſiniſtrum euentum comminari 133
Similitudo belli Iudaici tempore Antiochi cum bello noſtro contra Turcam 139.
Somni definitio 179
Somni profundioris ratio 21

Signa noctambulationis 213
Sanitas vitioſa noctambulonum 233
Scopi præſeruatiui noctambulationis 237.

T.

Terræ motus Conſtantinopolitanus 13.96.
Viennenſis 100
Terræ motus quando prodigioſus & vehementior 97
Terræ motuum exempla 98
Turcis Cometas fatales fuiſſe 14.97
Turcorum rabies 137. 142. quomodo ſint debellandi 16. quando 137
Trigonum igneum mutationes imperiorum portendere 185
Trigoni ignei initium cum puer auro dentatus naſceretur 85
Terræ motus magnus in Vngaria, Auſtria & Miſnia 100
Traiectionum variæ formæ 87.88
Terriculamenta hominum à Deo prædicta 102. quotuplicia noſtro ſeculo 103. quid præſagiant 107
Tempus noui ſeculi æterni 118.
difficilis determinationis 134
Teſtimonia de tempore euentuum Danielis 134. Ezechielis 135
Tempus maximarum calamitatum quæ præcedent 137
Tempore paroxiſmi quid cum noctambulonibus agendum 250

Terrore & metu negligentiam noctamb
num aliquando corrigendam 2

V.

Viſionis de aureo dente interpretatio
Vtilitas doctrinæ de aureo dente
Vites aureas apud Pannonas ſecund
Gaudentium, Merulam & alios natas
Viennenſis terræmotus 1
Voluntarios motus à dormientibus p
fici 1
Videre quoſdam in ſomno 2
loqui 199. audire & olfacere 2
Venæ ſectio in noctambulonibus quar
inſtituenda 2

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE